exhibito coram judice Potestatis calumniæ juramento, citari fecit *k* Abbatem, quod coram illo subiret *l* simile jusjurandum, ut renuntiare per hoc intelligeretur idem Abbas Apostolicis litteris ipso facto, aut pro convicto, si *m* recusaret hoc facere, haberetur. Cumque præfatam communitatem ad præsentiam vestram sæpius & peremptorie citassetis, syndico ejus se velle dilatorias exceptiones proponere protestanti, terminum in quo id faceret, vel super principali responderet, ipso citato statuistis: ad quem idem veniens, protestatus fuerit paratum se proponere alio tempore, litteras nostras per suggestionem falsi, & veri suppressionem obtentas; sed tunc ad hoc se non teneri de jure, cum tempus existeret propter *n* vindemias, feriarum, & G. Monachus syndicus monasterii pro violenta, ut dicebat, manuum injectione in presbyterum *o* excommunicationis laqueo teneretur, eodem G. proponente, hoc malitiose partem adversam proponere, ut causa *p* prolata *q* tempus labatur regimini Nobilis memorati: quod apparebat ex eo, quia per nuntium Potestatis id fuit Abbati prohibitum, ne communitatem eandem extra Florentin. districtum in judicium conveniret. Quare prænominati Abbas & Conventus humiliter petierunt, ut obviare hujusmodi malitiis dignaremur. Quocirca discr. v. mandamus, quatenus, tam eundem quam ejusdem monasterii monachos, quorum testimonio uti voluit, si excommunicationem contra eos ad impediendum causæ processum opponi contingat, absolvences, sub appel. obst. ad cautelam, ne tali prætextu valeant ab agendo, vel testificando repelli, præmissis exceptionibus non obstantibus, in negotio juxta recepti formam mandati, ratione prævia procedatis, causæ finem debitum absque moræ dispendio imponendo, ita præceptum Apostolicum impleturi, ut non debeamus vobis difficultatem, quæ dicto monasterio, moræ occasione imminere dignoscitur, imputare.

NOTÆ.

1 a *Episcopo.*) Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. c.* 5. Henrico videlicet a Prata, qui ex canonico Sancti Victoris, Clero suffragante in Prælatum Bononiensem electus fuit anno 1213. fuit egregius libertatis ecclesiasticæ vindex, & propugnator, ut refert Ughell. *t.* 2. *Ital. pag.* 22. De Ecclesia Bononiensi egi *in c. coram* 34. *de offic. deleg.*

b *Tancredo.*) De quo *in c. antecedenti.*

2 c *Pureu.*) Oppidum prope Florentiam habens Ecclesiam Collegialem, quod a Venetianis dirutum fuisse narrat Sabellicus *in sua historia.*

d *Conventus sanctæ Mariæ.*) Ordinis sancti Benedicti in civitate Florentiæ.

3 e *Potestas.*) Id est Magistratus, Præfectusve, ut accipitur *in l. judices* 9. *C. de judiciis*, apud Marcellinum *lib.* 15. ibi, *Ea domum hanc gratæ esse Potestati debet excelsa, cum interdum & vituperationi locus gestorum pateat locus.* Et *l.* 30. ibi: *Laudem virtutum, nisi a potestate invidiam esse sociam.* Salvianum *l.* 1. *de repub.* ibi: *Divis potestas pauperem facit esse rempublicam.* Ubi Rutherursius notavit, *pag.* 21. Jure civili Provinciales Magistratus, Potestates disebantur: Urbani vero tantum Magistratus, ut liquet *ex l. eum qui, ff. de jurisdict. leg.* 1. *ff. ad leg. Jul. majest.* Sueton. *in Claudio c.* 23. ibi: *Jurisdictionem de fideicommissis quotannis in urbe delegari Magistratibus solitam in perpetuum, atque etiam per provincias Potestatibus demandavit.* Notavit Guntherus *l.* 1. *de offic. domus August. c.* 3. & *in c. cum inter, de consuet.* mentio extat Potestatis Cenoman. Igitur in prælentia accipitur Potestas pro Priore ab ipsa Florentina civitate electo. Florentia enim excusso Imperatorum jugo, sub Prioribus, ut tunc vocabant, Vexillifero, aut Dictatore nova Republica stetit, plena libertate fruens usque ad annum 1530. a quo per Serenissimos Mediceorum Principes regitur, ut refert Ughellius *t.* 3. *Ital. pag.* 7.

f *De Signia.*) Signia olim civitas Episcopalis erat, licet tenuis, ut refert Merula *in Gallia Cisalp. l.* 3. *c.* 11. *in fine*, postea destructa, ad oppidum redacta fuit, unde castrum in prælenti accipitur pro oppido, ut *in c.* 2. *de ordin. cognit. c. ex parte, de foro compet. novel.* 128. *Justin.*

4 g *Respondere.*) Ob bella, quæ inter Philippum, Othonem, & Fredericum in tota fere Italia gerebantur, libertas Ecclesiastica valde negligebatur; unde passim ecclesiasticæ personæ coram sæcularibus judicibus a laicis conveniebantur, ut in non absimili specie refert Honorius noster *in c.* 4. *hoc tit. in* 5. *compil.* verbis his: (Significaverunt nobis Abbatissa, & moniales monasterii Jesu Christi, Cistercienses Ordinis, quod cum Albericus Medicus Papiensis eas coram Consulibus Papiens. super quadam summa pecuniæ traxisset in causam, metuentes ipsæ illorum consuetam malitiam, quæ dia contra clericos, & Ecclesias noscitur serbasse, cum timor ex veteri faciat ventura timeri, coram eisdem Consulibus litem super hoc contestatæ fuerunt, qui perperam procedentes; iniquam contra eas super sortem ac usuras diffinitivam sententiam promulgaverant. Unde humiliter petierunt, ut cum id fuerit contra libertatem Ecclesiæ attentatum, quia Ecclesiasticæ personæ non solum invitæ, sed etiam voluntariæ non possunt, ut judicium subeant sæculare pacisci, quum non sit personale hoc beneficium, cui renuntiari valeat; sed indultum potius toti collegio Ecclesiastico, cui privatorum pacto derogari non potest: subvenire sibi in hac parte misericorditer dignaremur. Quia vero sententia, quæ a non suo judice promulgatur, nullius debet esse momenti, disc. v. mandamus, quatenus si est ita, sententiam Consulum prædictorum invalidam penitus, & nullas habere vires auctoritate Apostolica denuncietis, audituri postmodum, si quid in præfatum Medicum, & moniales ipsas fuerit quæstionis, & illud appellatione postposita decisuri.) Ubi notavit Cironius in fine.

h *Audituri postea.*) Ut ita prius causa possessionis executioni mandaretur, quam proprietatis negotium disceptaretur, juxta textus *in l.* 1. *C. de appell. leg. ordinarii, C. de rei vind. c.* 1. *de causa possessionis*, ubi dicemus.

i *Statuto.*) Quod sustineri non poterat, juxta ea quæ adduximus *in c. Ecclesia, de constit.*

j *Syndicus.*) Quælibet communitas, sive sæcularis, sive regularis, debet in judicio syndicum constituere ad agendum, & defendendum, ut probavi *in capit. unico de syndico.*

k *Abbatem.*) Ecclesiastici quando teneantur jurare de calumnia, exponemus *in cap. final. de jurament. calumn.*

l *Subiret simile.*) In pluribus peccavit syndicus in præsenti. Primo, quia non poterat deferre jusjurandum sine mandato communitatis, *l. jusjurandum* 34. §. *deferor.* 1. *l. jusjurandum* 17. §. *procurator, ff. de jurejur.* Secundo, quia juravit de calumnia, antequam exigeretur a parte, *d. l. jusjurandum* 34. §. *qui jusjurandum*: quo casu intelligitur textus *in l. si non fuerit* 37. *ff. eod. tit.* 5

m *Si recusaret.*) In juramento enim necessario parti delato debet pars jurare, aut solvere, ex edicto Prætoris, *d. l. jusjurandum* 34. §. *Prætor, l. manifesse* 38. *ff. de jurejur. l. quotiies* 21. §. 2. *ff. de noxalibus, l. eius* 29. *ff. de jure fisci*, docent Donellus *l.* 24. *comm. c.* 21. Duarenus *ad tit. ff. de jurejur.* Cujacius *in l.* 9. *Cod. de rebus creditis*, qui in contrarium expendunt textum *in leg. non magis* 12. *cum duabus sequentibus, ff. rer. amot.* 6

n *Propter vindemias.*) Hæc verba late exponemus *in c. fin. de feriis.*

o *Excommunicationis.*) Si hæc exceptio vera esset, syndicus, qui actor erat, in judicio admitti non poterat, juxta ea quæ adduximus *in c. intelleximus, hoc tit.*

p *Prolata.*) Id est in longum producta, *l. Labeo* 25. §. 1. *l. arbiter* 33. *ff. de recept. l.* 1. *ff. de exactor. tribut. l.* 10. Seneca *in Hercule Furente*, ibi: *Certe veniunt ordine Parcæ, nulli jusso cessare licet, nulli scripto proferre diem.*

q *Tempus labatur regimini.*) Ex his verbis aperte probatur celebris doctrina, jam in foro admissa, quæ docet electum ad officium temporale, ut vulgo *alcalde ordinario*, vel simile, mota lite super electione, etiam sententia sequuta in favorem electi, non posse eum officium retinere, si jam tempus elapsum sit, argumento textus *in l. si ususfructus mihi* 6. *ff. de usufr.* eam tenent Franchis *decis.* 419. Valascus *consult.* 55. *per tot.* Fontanella *de pactis nupt. t.* 1. *clausul.* 4. *glos.* 10. *nu.* 99. Capiblanc. *de Baron. pragmat.* 5. *n.* 87. Mastrillus *de Magistr. l.* 1. *c.* 21. *nu.* 9. & *c.* 23. *num.* 56. Sesse *tom.* 2. *decis.* 161. Cabedo *decis.* 84. & alii relata a Silgado *de regia protect.* 4. *p. c.* 11. *n.* 54. Barbosa *in præsenti, nu.* 7. Amaya *in l.* 14. *C. de decur. n.* 28. *l.* 10. ubi *n.* 29. prædicta verba hujus textus exponit.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu deducunt Garcia *de nobilit. glos.* 1. *nu.* 27. Cevallos *de cognit. per viam viol.* 2. *p. q.* 65. *n.* 7. Paz *de tenuta c.* 12. *n.* 78. plures congesti a Carlevallio *de judiciis t.* 1. *disp.* 2. *q.* 7. *sect.* 3. D. Joannes de Larrea *decis.* 6. *n.* 23. Roussel. *l.* 4. *hist. Pont. jurisd. c.* 4. *n.* 18. de causa possessionis etiam in re spirituali cognoscere posse judicem laicum, non autem de proprietate, & sic ob privilegia personarum in præsenti specie judicium petitorium dividi a possessorio, contra textum vulgarem *in c.* 1. *de sequest. poss.* Sed contrarium, imo nec de causis possessoriis rerum spiritualium, aut inter ecclesiasticas personas judicem laicum cognoscere posse, docent Augustinus *l.* 2. *de legibus, c.* 19. *n.* 26. Canisius, Vega, & Fermosinus *in præsenti*, Boetius Epon. *t.* 1. *qq. heroic. tit. de regalibus, n.* 31. & 91. Sahagun. *in cap.* 1. *de sequestr. possess.* Barbosa *l.* 1. *juris eccl. c.* 39. §. 2. *n.* 29. qui præsentem decisionem accipiunt ita, ut propter incapacitatem judicis sæcularis, divisa fuerit cognitio utriusque judicii, possessorii videlicet, & petitorii; quia Potestas Florentina incapax erat ad cognoscendum de proprietate contra monachos intentata, ex adductis *in c.* 2. *hoc tit.* Et licet judicium possessorium terminasset ex eo, quia cum actor taneatur sequi forum rei, etiam dum clericus vult laicum convenire, *c. si clericus laicum, de foro compet.* Suarez *l.* 4. *adver. Regem Anglia, c.* 14. *a n.* 14. Carleval. *de judic. l.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *qu.* 4. *num.* 3. & monasterium convenisset laicos communitatis Cervensis super re temporali; hoc est jure eligendi Rectorem politicum, debuit sequi monasterium eorum forum; attamen cum in causa proprietatis laici actores esset, debent sequi forum monasterii: & ideo Pontifex eam commisit judicibus ecclesiasticis, & divisa fuit utriusque judicii continentia, propter incapacitatem judicis sæcularis; & cum causa possessoria jam per sententiam decisa esset, & tamquam in diversa causa proprietatis judicium fuisset intentatum a syndico communitatis Cervensis; ideo continentia causæ dividi potuit. Sed licet hæc communis interpretatio fere ab omnibus admittatur, tamen alio modo præsentem Honorii decisionem exponendam esse jamdiu existimabam: autumabam ego in præsenti specie utriusque causæ continentiam divisam non fuisse, imo potius tam possessionis, quam proprietatis cognitionem judicibus delegatis faisse demandatam, ut constat ex illis verbis: *Ut si esset ita, per censuras Ecclesiasticas cogeretis communitatem eandem præfatum nobilem admittere in Lectorem, audituri postea quæ partes super proprietate, vel quæstione dicti juris ducerent proponenda.* Ex quibus liquet, non solum proprietatis causam, verum & possessionis negotium committi ab Honorio III. Comparuerunt autem Monachi coram Potestate Florentina, tam in judicio possessorio, quam petitorio: quia ut in superiori textu notavi, per hæc tempora ob bella totam fere per Italiam grassantia, negligebatur ecclesiastica libertas, & Ecclesiasticæ personæ facile coram sæcularibus Magistratibus conveniebantur; unde de facto, potius quam de jure, monachi in præsenti specie, tam super possessione, quam proprietate eligendi Rectorem in castro de Signia conventi fuerunt coram Potestate Florentina. 8 Textus vera interpretatio.

TITULUS II.

De foro competenti.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Chalcedon.

SI quis clericus adversus clericum *b* negotium habeat, non deserat Episcopum proprium, sed prius apud ipsum actio ventiletur, vel *c* de consilio ejusdem apud *d* alios, quos utraque pars voluerit, judicium obtinebunt. 5

NOTÆ.

1 a *Chalcedon.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 1. Chalcedonia civitas est Bithyniæ, vulgo *Calcedona* dicta, teste Strabone *l.* 12. Quantum ad honorem in hoc Concilio Chalcedon. Metropolis facta fuit, ut refert Berterius *diatrib.* 2. *c.* 4. In ea civitate celebratum fuit Concilium 4. generale œcumenicum, Chalcedon. dictum, anno 451. temporibus Leonis Papæ, & Marciani Imperatoris, quod congregatum fuit adversus Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, & Eutychen Archimandritam Constantinop. in quo convenerunt sexcenti & triginta Episcopi, ut ejus historiam referentes, tradunt Binius & Coriolanus in eo, Baronius *dict. anno* 451. Christ. Lupus *ad hoc Concilium.* In sessione 9. hujus Concilii sanciti fuerunt triginta canones, quos referunt Binius *t.* 2. *Concil.* Balsamon *in schol. ad hoc Concilium*, ex quibus canon 9. refertur in præsenti, & illum ex Græco sermone in Latinum versum referunt Burchardus *l.* 1. *Decreti, cap.* 183. Ivo Carnot. *p.* 6. *Decreti, c.* 328. & 360. Gratian. *in cap. si clericus*, 11. *qu.* 1. Ant. Aug. *in c.* 1. *hoc tit. in* 1. *collect.* & apud Balsamonem ita habetur: " Si quis clericus habet cum „ clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum ne re- „ linquat, & ad sæcularia judicia ne excurrat, sed causam „ prius apud proprium Episcopum agat, vel de Episcopi „ sententia, apud eos quos utraque pars elegerit, judicium „ agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœ- „ nis subjiciatur. Si clericus autem cum proprio, vel etiam „ alio Episcopo negotium, aut litem habeat, a Provinciæ „ Synodo judicetur. Si autem cum ipsius Provinciæ Metro- „ politano Episcopus, vel clericus controversiam habeat, „ diœcesis Exarchum adeat, vel Imperialis urbis Constanti- „ nopolis Thronum, & apud eum litiget.

2 b *Negotium.*) Sive civile, sive ecclesiasticum, juxta notata *in c.* 2. *verbo Negotii, de judiciis.*

c *Consilio.*) Idest consensu, ut *in c.* 2. *c. significasti, hoc tit.*

d *Alios judices.*) Ecclesiasticos, sed incompetentes, ut post Glossam omnes antiquiores *in præsenti.* Vivianus, Canisius, Balboa, & Fermosinus referunt; sed Cujacius *in præsenti*, laicos subjungit, supponitque olim licuisse ex consensu Episcopi judicem sæcularem cognoscere de clericis, eorumque causis, ut constat *ex c.* 2. & 3. 11. *quæst.* 1. Concil. Epaun. *canon.* 11. Arelat. 3. *can.* 32. *c.* 2. *hoc tit.* jam notavi *in c. clerici, de judic.* donec prohibitum fuit etiam cum consensu Episcopi judicibus sæcularibus clericos condemnare, *in c. si diligenti, hoc tit.*

COMMENTARIUM.

EX hoc canone 9. Concilii Chalcedon. deducunt post antiquiores Vega, Balboa, Garanna, & Fermosinus, primam instantiam in causis clericorum, ad proprium Episcopum pertinere, qui jurisdictionem ordinariam in eos exercet, juxta tradita a Filesaco *in c.* 1. *de offic. ordin.* & Petro Gregorio *in c. conquerente, eod. titulo, c.* 11. nec posse sine consensu proprii Episcopi clericum prorogare jurisdictionem alterius judicis ecclesiastici. Sed si consulamus verba hujus canonis ex Græco exemplari versa, & transcripta apud Gratianum, Ant. Aug. Balsamonem, & alios, præcipue illa: *Ad sæcularia judicia non concurrat, sed prius negotium agitetur apud proprium Episcopum*; sensus hujus canonis est, clericum adversus clericum negotium civile, seu criminale habentem, non debere sæcularem judicem adire, sed proprium Episcopum, vel alium judicem, de ejus consilio, & alterius partis consensu, ut expresserunt, & canonem hunc acceperunt Carolus, & Ludovicus *l.* 6. *capit. c.* 155. ibi; „ Nullus ex ordine clericorum „ inconsulto proprio Episcopo ad judicem sæcularem per- „ gat, neque ad eum, suo Episcopo non permittente, quem- „ quam pulsare, aut cuiquam ante eum respondere, aut „ quicquam proponere præsumat, neque criminale negotium „ in judicio sæculari proponere audeat. „ Quam exemptionis ecclesiasticæ partem late illustravi *in capit. clerici* 8. *de judiciis.* 3 Vera interpret.

CAPUT II.

Ex Concilio a Parisiensi.

NUllus judicum, neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum ullum, aut *b* juniores Ecclesiæ, sine scientia *c* Pont. per se distringat, aut condemnare præsumat. Qui si fecerit, ab *d* Ecclesia, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscat, *e* & emendet.

NOTÆ.

1 a *Parisiense.*) Textus iste tribuitur Concilio Parisiensi a Burchardo *l.* 6. *Decreti, c.* 22. in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 3. sed sub nomine Palæ refertur a Gratiano *in c.* 2. 11. *qu.* 1. reperitur autem in capitularibus Caroli, & Ludovici *l.* 6. *c.* 44. in hæc verba: " Ut nullus judicum, „ neque Presbyteros, neque Diaconos, neque reliquos cleri- „ cos, vel juniores Ecclesiæ sine licentia proprii Episcopi „ per se distringat, aut condemnare præsumat. Quod si fe- „ cerit, tamdiu communione privetur, quamdiu reatum „ suum agnoscat, & per satisfactionem emendet Ecclesiæ „ quod commisit. „ Verba etiam in præsenti transcripta reperiuntur in Concilio Parisiensi 5. *can.* 15. quod extat *to.* 14. *Conc. Regia edit. fol.* 409. Concilium hoc Parisiense indictum fuit anno 614. a Clotario II. Rege, cum post Theodeberti, & Theodorici mortem in illorum regna successisset. Septuagintanovem Episcopi in eo interfuerunt, ideoque Synodus generalis appellatur in Concilio Rhemensi, *can.* 3. ubi notavit Sirmundus *in dist. Concilio Paris.*

2 b *Juniores.*) Juniores, in præsenti, & aliis hujus juris locis, non est nomen ætatis, sed ministerii; accipiuntur enim juniores pro ministris inferioribus, & clericis in minoribus ordinibus constitutis, qui opponuntur senioribus; ratione honoris, & præcellentioris gradus ita appellatis: Carolus, & Ludovicus *l.* 1. *capitul. cap.* 167. ibi; *Ut primo omnium seniores semetipsos de ebrietate cavenant, & eorum junioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant.* Et *l.* 6. *c.* 63. *de vulgari populo, & unusquisque suos juniores distringat, ut melius obediant mandatis Imperialibus.* Synodus Matiscon. 2. *can.* 7. 8. & 9. Gregor. Turon. *l.* 5. *histor. c.* 26. *A junioribus Ecclesiæ jussit annos exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent; illi tamquam Ecclesiæ deputati alebantur in conclavi atrii Ecclesiæ.* Et *c.* 1. 12. *qu.* 1. Et clerici appellantur in Concilio Valent. Galliæ, *canon.* 12. ibi: *Presbyteri, qui diœcesanas regunt Ecclesias, non a quibuslibet Episcopis, sed a suo; neque per juniorem clericum, sed per seipsos.* Dicuntur juvenes *in l.* 10. *Cod. Theodos. de Episcopis & Clericis*, ubi notavit Gothofredus. Plura notarunt de his junioribus Bignonius *ad Marculfum, l.* 2. Freder. Lindembrog. *in glossar. legum antiq. verbo Juniores*; & nos dicemus *in c.* 1. *de consiliis.*

c *Pontifices.*) Panormitanus *in præsenti, n.* 12. & Balboa *c.* 20. existimarunt, nomen Pontificis hic stare proprie & stricte pro R. Pontifice, unde deducunt, de licentia tantum Romani Pontificis clericum posse privilegio fori renuntiare. Sed hæc sententia aperte convincitur ex dicto capitul. 44. 3

Caroli, ubi dum refertur hic textus, legitur *de licentia proprii Episcopi*, & si adhuc retineatur nomen Pontificis, pro Episcopo accipi posset: quia novum non est in jure hoc, ut Episcopi Pontifices appellentur, ut probavit *in c. 1. de postul.* Alio etiam modo ipse Balboa *ubi proxime, n. 9.* accipit, & interpretatur hunc canonem; ait enim in eo non permitti judicibus sæcularibus ex licentia Episcopi clericos judicare, sed tantum distringere, quod permissu Episcopi laici facere possunt, *c. ut fame, de sent. excom.* Sed hæc sententia refellitur ex verbo illo sequenti, *condemnare*; quod judicialiter procedere significat; & ex illis verbis legis 11. *titulo 1. l. 3. legum Longobard. Ne clerici ad publica, vel sæcularia judicia trahantur, vel distringantur.* Quare his sententiis omissis, existimo textum esse referendum ad ea tempora, quibus in aliquibus provinciis judices sæculares ex licentia proprii Episcopi de causis clericorum cognoscebant, ut jam probavi *in c. clerici, de judiciis*, & docet Cujacius *in c. 1. hoc tit.* quo modo accipiendus est canon 20. Concilii Aurelian. 4. ibi: " Ut nullus sæcularium " personarum, prætermisso Pontifice, seu Præposito Ecclesiæ, " quemquam clericorum pro sua potestate constringere, vel " discutere audeat, vel damnare; sed & clericus, si pro cau- " sa ad petitionem cujuscumque fuerit ab ecclesiastico ordi- " natore commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, " & respondere nulla calliditate dissimulet. Et *statim*: Sane " si causam habentibus placuerit ire ad judicium fori, ex " voluntate commoni, permittente Præposito Ecclesiæ, cleri- " co licentia tribuatur. "

d *Ecclesia.*) Non accipias in præsenti Ecclesiam pro materiali ædificio, sed pro fidelium societate, & communione; nam excommunicati Ecclesiam ingredi possunt, & privatim orare, dum divina officia non celebrantur. Covarruv. *in c. alma, 1. p. §. 3. n. 7.* Hugolinus *tabul. 2. c. 8. §. 2.* Gibalin. *de censur. disquis. 7. q. 5. consect. 6.* Quare prædicationi verbi Dei adesse possunt. Lanidmeier. *l. 2. de veteri mon. c. 68.* Ferrarius *de rit. concion. l. 2. c. 14.* Ad Ecclesiam, tamquam ad asylum, confugere valent. Covar. *l. 2. var. c. 2. n. 12.* Sayrus *l. 2. thesauri, c. 10. n. 19.* & olim usque ad Missam catechumenorum admittebantur, tuncque ab Ostiariis ab Ecclesia ejiciebantur, ut probant Gabriel Albaspinus *l. 2. observ. c. 2.* Vicecomes *de ritibus Missæ, l. 2. cap. 2.* unde dum in præsenti docetur, excommunicatum esse sequestratum ab Ecclesia, id ita exaudiendum est, ut excommunicatus privatus sit communione Ecclesiæ, & societate fidelium, *in capit. 1. 15. distinct. capit. qui merito, 11. question. 3.* docet Gibalinus *ubi supra pagin. 241.*

e *Emendet.*) Et fuerit absolutus, juxta tradita *in cap. ex litteris, de constit.*

C A P U T III.

Ex Concilio a *Africano.*

SAne si Episcopi, inter quos causa versatur, sint diversarum provinciarum, *b* ille Primas det *c* judices, in cujus provincia est locus, de quo contenditur; si autem ex communi placito vicinos judices elegerint, aut unus eligatur, aut tres; vel si tres elegerint, aut omnium sententiam sequantur, aut duorum.

N O T Æ.

a *Africano.*) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 4.* & integram ejus historiam retuli *in c. 1. de arbitris*, ubi probavi, in præsenti canone agi de judicibus electis, & electitiis, qui in Ecclesia Africana valde usitabantur: qui licet ordinariam jurisdictionem obtinerent, tamen ex consensu partium eligebantur, ut *in d. c. 1.* retuli.

b *Ille Primas.*) Hæc verba de Primate proprie, & stricte sumpto, qui Metropolitanis præest, *c. si clericus 11. q. 1.* de quo egi *in c. coram, de in integrum restit.* accipiunt antiquiores *in præsenti*, Cæsar *de Eccl. hier. disp. 4. §. 4. n. 4.* & *disp. 5. §. 2. n. 8.* ajuntque Primatum officium esse judices dare, juxta Julium *ep. 2. c. 4.* relatum *in c. judices 4. 11. q. 1.* quem ita accipit Franc. Hallierius *de hierarch. jurisd. l. 4. §. 13.* licet aliter eum exponat Basilius *de matrim. l. 5. c. 12. §. unic. num. 12.* Sed hæc sententia defendi posset, si in præsenti canone ageretur de causa inter Archiepiscopos disceptata, quorum judex proprius, ordinariusque est Primas, *d. c. si clericus.* Conc. Brachar. 1. *can. 6. Item placuit, ut conservato Metropolitani Episcopi Primatu, ceteri Episcoporum secundum sua ordinationis tempus, alius alii sedendi deferat locum*, Martin. Brachar. *in sua collect. c. 4. Per singulas Provincias oportet Episcopos cognoscere Primatum Metropolitani Episcopi, & ipsum Primatus curam suscipere.* Hujusmodi Primatem unius dumtaxat Provinciæ Theodor. Balsam. *ad can. 9. Concil. Chalced.* vocat Primatem Provinciæ: distingueque eum a Primate habente Primatum super varias Provincias, quem vocat Primatem diœceseos. Probant Basilius *qu. 3. expositiva*, Floracuntius 3. *de Trinit. c. 1. p. 3. ad 4.* Theophilus *t. 8. de Primatu Lugdun. c. 1. §. 1.* Cæsar *d. disp. 4. §. 4.* Sed cum lis inter Episcopos tractaretur, necessario Metropolitanus adeundus erat, qui est judex proprius Episcoporum, *c. 1. & 2. 9. q. 3. c. 1. & 2. 99. distinct.* Cæsar *d. disp. 5. §. 2.* Non possunt prædicta verba accipi stricte de Primate; accipienda igitur sunt ut Balsamon, & Cujacius *hic* docent, de Archiepiscopo, seu Metropolitano, qui olim Primas dicebatur, *c. cleros 21. vers. Archiepiscopus, 21. distinct. c. exposuit, de dilationibus*, ubi Abbas *notabili. 2.* Acunna *de Primatu Ecclesiæ Brachar. c. 1.* M. A. Capella *de appellat. Ecclesiæ Afric. c. 4.* Unde sensus hujus canonis juxta ipsos est, ut si duo Episcopi diversarum Provinciarum contendant de aliquo loco, unoquoque suum esse asserente, hujus controversiæ dirimendæ causa ille Metropolitanus det judices in cujus Provincia est locus, de quo contenditur, ita docuerunt Balsam. *ad hunc canonem*, Cujacius *in præf.* Sed textus hic accipiendus est juxta morem Ecclesiæ Africanæ, ubi Primatum appellatione illi Episcopi significantur, qui sunt primæ Sedis Episcopi, ut *in can. 19. collectionis Afric.* ibi: *Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem Provinciæ ipsius causam deferat accusator.* Et *in canon. 28.* de appellatione clericorum statuitur, ut provocent ad Primates suarum Provinciarum. Sed magnum discrimen observandum est inter Primates Africanos, & ceteros. Prima etenim Sedes in aliis Provinciis affixa est civitati Metropoli, idest quæ mater urbium habetur in regimine civili: in Africa vero, qui ex Episcopis ordinationis tempore ceteros collegas suos anteibat, Primas nuncupabatur, seu primæ Sedis Episcopus. Itaque licet ex sex Provinciis, ex quibus Africana diœcesis constabat, duæ Mauritaniæ, Numidiæ, Byzacena, & Tripolitana, sua quæque Metropoli in ordine Imperii non careret; prima tamen sedes ecclesiastica non erat illis addicta, sed Episcopum seniorem sequebatur: unde *in can. 86.* ejusdem collectionis prima sedes Numidiæ aperte distinguitur a Constantina Metropoli ejusdem Provinciæ: orta enim quæstione inter Episcopos, quo in loco tabulæ ecclesiasticæ, seu regestra Provinciæ servarentur, constitutum fuit, ut in urbe Metropoli conderentur, fortassis ut primæ sedis Episcopo parata esset ad manum, ne hac in parte a Metropoleos Episcopo penderet. Verba canonis sunt: *Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut macriculæ, & archivus Numidiæ, & apud primam sedem sit, & in Metropoli, idest Constantia.* Tantum Carthaginensis civitas eo splendore fulgebat, ut illius Episcopus, Primas esset. Proconsularis provinciæ, imo & caput reliquarum quinque provinciarum, quas proxime enumeravi. Non moror in probando speciali isto Africanarum Ecclesiarum usu, qui Primatum provinciæ, non civitatibus, sed personis dabat; id enim facile constat discussis Africanis Conciliis, necnon expensis variis locis Augustini, Gregorii I. & Leonis IX. ut jam fecerunt eruditi viri; juxta quem specialem usum accipiendus est Primas in præsenti, ut sensus canonis sit, quod si inter Episcopos diversarum provinciarum lis super certo loco versetur, Primas ille det Judices, qui antiquior Episcopus est, & per consequens Primas Provinciæ illius, in qua locus est, de quo lis vertitur.

c *Det Judices.*) Sed quare ipse de causa non cognoscit, cum Prætor tunc Judices dare soleat, cum ob nimia negotia per se cognoscere non valet, *l. cum Prætor 12. de judic. 4.* Covar. *dict. disp. 4. §. 1. nu. 7.* existimat Primatem in præsenti in secunda instantia cognoscere, quia ad ipsum fuit provocatum: & ideo posse judices dare, non vero cogi per se de causa cognoscere. Sed huic difficultati facile satisfaciemus, si animadvertamus, judices electos & electitios, de quibus in præsenti agi jam probavi *in c. 1. de arbitris*, institutos, & inventos fuisse in Provincia Africana, ut præcluderetur via appellationibus transmarinis; in quibus prosequendis valde molesti erant Africani; unde Archiepiscopus per se non cognoscebat, quia ab ejus sententia facile appellatio interponeretur: sed judices dabat ex consensu partium, a quibus non licebat appellare, *c. a judicibus 2. q. 6.*

COMMENTARIUM.

HUcusque egimus de vera interpretatione præsentis canonis, juxta mores speciales Primatum, & judicum electitiorum Ecclesiæ Africanæ; sed cum communiter repetentes in præsenti canonem hunc accipiant indistincte de omnibus judicibus ordinariis, sequentem communi calculo deducunt assertionem: *Ratione rei, de qua agitur, fortitur quis forum, & ubi ipsa existit, reus convenirі valet.* Probant eam textus *in leg. unic. C. ubi de possessione, leg. unic. C. ubi de heredit. leg. unic. C. ubi in rem actio, l. unic. C. de fideicom. petit. leg. hæres 19. §. 1. & 2. l. quod legatur 38. ff. de judiciis, c. experientia 15. 11. q. 1. c. ex parte, cap. final. hoc tit. cap. dilectus 29. de rescriptis, l. si res 10. cum sequenti, ff. de rei vind. leg. 32. tit. 2. p. 3. leg. 2. tit. 1. l. 2. fori.* Illustrant hanc assertionem ultra congestos a Vega, Balboa, Garanna & Fermosino *in præsenti*, Cujacius hic, P. Gregor. *lib. 5. partit. tit. 1. capit. 6.* Donellus *l. 17. comment. cap. 17. per tot.* Arnold. Vinnius *l. 1. select. cap. 18.* Vultejus *in l. 2. Cod. de jurisdict. leg. unic. Cod. ubi in rem actio*, P. Barbosa *in dict. leg. hæres 19. §. 1. & in d. leg. quod legatur*, plures congesti ab Antonio Aug. Barbosa *in d. l. ult. C. ubi in rem actio*, Carleval. *de judiciis, t. 1. disp. 2. qu. 3.* Hunnius *in encyclop. p. 2. tit. 35. c. 4.*

4 Confusio traditur, & probatur.

Sed

5 Impugnatur hæc assertio.

Sed hæc communis assertio difficilis redditur sequenti consideratione; nam in præsenti potius ille Primas judices dare debebat, in cujus provincia reus domicilium, seu Cathedram habebat, quia forus domicilii præcipuus est, & principaliter in judicio attenditur: adeo ut in concursu aliorum judicum, ratione contractus, delicti, vel rei sitæ, reus conveniri debeat coram judice domicilii, ut probari videtur *in cap. dilectus, el 2. de rescriptis, l. ult. c. ubi in rem actio*, ubi ex sententia Glossæ, quam omnes sequuntur, deducitur, reum actione reali in loco domicilii, quasi in principali foro conveniri debere, & minus principaliter permiti, ut in loco rei sitæ conveniatur: igitur in præsenti specie non Primas ille, ubi res in controversiam deducta existebat, sed Primas ille, in cujus provincia reus Cathedram obtinebat, judices dare debebat.

6 De distinctione territorii.

Hac dubitandi ratione minime obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione primo sciendum est, quemadmodum per personas, ita etiam per loca distinctas, diversæque fuisse jurisdictiones, ne alioquin turbarentur, & ad invicem impedirentur; unde territorio adhærere jurisdictionem Justinianus affirmat *in l. ult. C. ubi & apud quem*, ubi notant Bartolus, & Baldus, P. Gregorius *l. 47. syntagm. c. 21. n. 33.* ubi plures laudat Oualdus *litt. C*, quibus addere licet Fabrum, Cujacium, & Goveannum *in l. ult. ff. de jurisd.* Revardum *l. 3. consult. c. 10.* Covar. *practic. c. 10. nu. 7.* Suarium *de censuris disp. 25. sect. 1. n. 9.* Hinc extra territorium impune non patere jus dicenti Paulus existimat *in l. ult. ff. de jurisd.* & Præsidem Provinciæ tantum in suæ Provinciæ incolas imperium habere affirmat idem Paulus *in l. 3. de offic. Præsidis*: & Proconsulem in ea tantum Provincia, quæ illi decreta est jurisdictionem exercere posse, idem affirmat *in lib. 1. vers. potestatem, ff. de offic. Proconsul.* & Duumviris impune non licere extollere fascium potestatem extra metas territorii propriæ civitatis, Honorius, & Theodosius statuerunt *in l. Duum virum 53. C. de decur. l. 10.* faciunt etiam textus *in l. ultra 10. l. extra 16. C. Theod. de accus. l. cum unus, §. 11. ff. de bonis auctoritr. l. 1. §. in initio, in fine, ff. de offic. Præfect. urb.* Similiter in Republica, & politia ecclesiastica, cum inter Archiepiscopos, & Episcopos diœceses divisæ essent, itaut unicuique proprium territorium cum jurisdictione assignatum esset, *c. præcipimus 16. q. 1. c. licet, §. hoc, c. cum inter memoratos, c. dilectio, 16. q. 3. c. pastoralis, de rescriptis, c. penult. de offic. legati, c. ut litigantes, de offic. Ordin.* ut rectius ovium curæ incumberent, ut ait Anacletus *in c. in novo, 21. dist.* Constitutum est, ne quis Archiepiscopus in Provincia aliena, & ne quis Episcopus in aliena diœcesi jurisdictionem exerceat: aut alienum parochianem, nisi in ejus territorio forum sortiatur, condemnare, aut absolvere præsumat, *cap. nullus 9. q. 2. c. Episcopum, c. Episcopi, c. non invitati 7. q. 1. cap. si quis Episcopus 11. q. 3. c. novit, de offic. Legati, c. 2. de constit. l. 6.* dicemus late *in c. nullus, de parochiis.*

7 Forus quid.

Secundo sciendum est, forum dictum esse a fando, juxta Isidorum relatum *in c. forus, de v. s.* vel a Foroneo Rege, ut alii volunt, sed neutram etymologiam admittunt Polletus *l. 1. histor. fori Rom. c. 1. & 2.* Alciatus *l. 3. disp. c. 19.* qui alias derivationes adducunt, quibus nunc omissis, illud compertum est, forum significare locum, ubi nundinæ fiunt, *l. ejus qui in foro 6. ff. de procurat. l. semper, vers. licet, ff. de jure immunit. l. inter 83. §. sacram, ff. de verb. obl.* Inde fortassis dictus, quia in eum locum merces efferuntur, vel quia foras ibi exportantur. Alciatus *ubi proxime*; & quia in foro eodem ubi res venales exponebantur, Gentiles jus dicebant, ut ex Catone, & Plutarcho probant Cironius *ad hunc tit.* Polletus *d. cap. 1.* P. Gregorius *l. 1. de repub. c. 16.* ideo licet postea in basilicis, tribunalibus, & aliis locis, imo Episcopi in Ecclesiis jus dicerent, tamen locus ille forus appellatur, *l. moris 9. §. nonnunquam, ff. de pœnis, l. si fidejussor, ff. qui satisd. cog. l. cum clericis, C. de Episc. & Cleric.* & alii congesti a Verrucio, Hothomano, Brissonio, & Calvino *de v. s. verbo Forus.* Unde forum sortiri, pro conventione in certo loco ponitur: & de foro esse, idest, de jurisdictione, vulgo dicitur: unde etiam forenses causæ, quæ in judicio tractantur; forenses homines, qui in foris versantur, & eas pertractant, vulgo dicuntur, ut probat Bosquetus *ad Innocentium l. 2. epist. 105.* Forum ita acceptum pro loco ubi quis convenendus est, & ad judicium trahi valet, quis sortitur pluribus modis: quatuordecim refert Alfonsus noster *in l. 32. tit. 2. partit. 3.* quinquaginta Speculator *l. 2. tit. de competent. judiciis, §. generaliter*; centum & novem congerit Marianus Socinus *in hac rubric. de foro compet.* Sed omnes illi, si recte perpendantur, ad sequentia capita contrahi possunt. Primo sortitur quis forum ratione domicilii: secundo ratione originis, tertio ratione rei sitæ: quarto ratione contractus; quinto ratione successionis; sexto ratione privilegii: septimo ratione delicti; octavo ratione prorogationis: docte, & suse prosequuntur Donellus *l. 17. comm. c. 15. cum sequentibus*, Petr. Barbosa *in l. hæres absent, ff. de judic.* Vultejus *in l. 2. & finali Cod. de foro compet.* Carleval. *l. 1. de judic. titulo 1. disp. 2. per tot.* Covarruv. *practic. qu. 10. & 11.* P. Gregor. *lib. 5. partit. tit. 1. c. 6.* Hunnius *in encyclop. part. 1. tit. 9.* Zangerus *part. 2. de except. c. 1. per totum.* Inter eos enumeratur forus ratione rei sitæ, quia videlicet ubi res reperitur, quæ in judicium deducta est, potest quis conveniri, & coram judice, in cujus territorio res extat, *l. ult. Cod. ubi in rem actio*: quam partem variis ampliationibus, & limitationibus illustrant Osualdus *in dict. c. 17. Donelli*, Carleval. *d. disp. 2. q. 3.* Vultejus *in d. leg. ultima.* Balboa, Vega, & Fermosinus *in præf.*

8 Traditur ratio decidi.

Quibus ita animadversis, ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam sive de possessione, sive de proprietate rei agatur, præcipuus forus est ubi res extat, tam propter qualitatem actionis realis, quæ cum principaliter respiciat rem, quæ vindicatur, *§. omnium, Instit. de actionibus*, unde hoc respectu eidem rei adhærere dicitur, veluti cum ipsi connexitatem habens, *l. non alias 24. §. final. ff. de iudic. leg. fin. Cod. de longi temporis præscript.* inde proponi potest coram judice, sub cujus jurisdictione res ipsa jacet. Accedit, quia plerumque in ipso litis exordio necessaria est rei exhibitio, item limites ipsius probari debent, & tandem post sententiam, ut exequutioni mandetur, res ipsa tradenda est; quæ omnia recte peragentur, si actio realis intendatur, tam coram judice, in cujus territorio res adest, quam alibi, argumento textus *in c. quosdam 7. de præscript. c. cum teneamur 17. de appell.* Recte ergo in præsenti docetur, ratione rei possessorem conveniendum esse coram eo judice, in cujus territorio res sita est; quam rationem illustrant Balboa, Vega, & Garanna & Fermosinus *in præf.* quæ ratio cum æque procedat, sive res immobilis, sive mobilis petatur, dicendum est, possidentem rem mobilem etiam conveniri posse, ubi res ipsa adest, ut cavetur *in lib. 4. styli*, & contra Accursium ibi defendit Paz *n. 5.*

9 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro cujus solutione acriter disputant Interpretes, an actor possit reum convenire in loco domicilii, aut reus tantum respondere teneatur in loco rei sitæ? Et aliqui relati a Trentacinquio *l. 2. practic. tit. de actionibus, resol. 4. n. 10.* Donello *d. l. 17. cap. 17.* nervose defendunt, in actione reali, ubi de re agitur, tantum in loco rei sitæ possessorem conveniendum esse. Adducunt pro sua sententia textum *in leg. fin. Cod. ubi in rem actio*, in illis verbis; *Actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur.* Et *l. unic. C. ubi de possessione*, ibi: *Sed in loci, in quibus res constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* Et *l. quod legatur 18. ff. de judiciis*: ibi: *Si autem per in rem actionem legatum petatur, etiam ibi peti debet, ubi est.* Contrariam sententiam videlicet rei possessorem conveniri posse, non solum ubi res adest, verum in loco domicilii, tenuerunt Vultejus *in l. 1. & fin. Cod. ubi in rem actio.* Arnold. Vinius *l. 1. select. cap. 18.* quod Interpretum difficilium ut componamus, asserendum est, quod si de possessione agatur momentaneo processu, qui extraordinarius est, veluti in casu legis *si coloni 14. Cod. de agricolis, l. 11.* vel simili, judex rei adeundus est, eo quod processus ille momentaneus ob id instituitur, ne partes ad arma deveniant; quod contingere solet in ipso loco ubi res, de cujus possessione contenditur, sita est: sed si ordinario processu de possessione agatur, actor electionem habet, utro in loco reum convenire velit, videlicet in loco domicilii, aut rei sitæ, *d. l. ult. C. ubi in rem.* Idem dicendum est in controversiis, quæ de proprietate rei emergunt; in arbitrio enim petitoris est actionem movere in loco domicilii possessoris, vel in loco ubi res, de quibus contenditur constitutæ sunt, *l. si res mobilis, cum seq. ff. de rei vind. l. unic. C. ubi de hered.* Nec contrarium probant textus supra pro contraria sententia adducti. Non textus *in d. l. un. C. ubi in rem*, quem cavillatione ea expendit Donell. *ubi supra*, videlicet, quod Imperatores ibi non simpliciter permittunt actionem in rem moveri, ubi res constituta est: sed moveri jubent, quasi verbis iistis necessitatem ibi agendi imponant. Sed si hoc tantum jubherent Imperatores, recte argueret Donellus, sed cum ipso fatente, duo statuant; primum, actorem rei forum sequi debere, quacumque actione experiatur, sive in rem, sive in personam, atque per hujusmodi forum, eodem quoque cessante, non aliud intelligi possit, quam quod reus sortitur ratione proprii domicilii: deinde si in rem agatur, etiam ibi, ubi res constituta est, agi jubeant, in verticulo: *Sed & in loci*: recte deducitur, duo diversa loca ab Imperatoribus assignari, quibus in rem actio moveri queat, & forum possessor sortiatur: unum locum domicilii, quasi communem omnium actionum: & locum rei sitæ, ut proprium actionum in rem. Nec pro contraria sententia facit textus *in dict. leg. unic. Cod. ubi de possess.* cui recte vulgo respondetur, loqui Imperatores ibi de foro proprio, & speciali, ac proinde per legem illam non excludi forum commune omnium actionum, in quo scilicet quisque conveniri potest quacumque ex causa, quale tribuit locus domicilii, *leg. 2. Cod. de jurisdict.* Sic *in leg. unic. Cod. de fideicom. petit.* dicitur fideicommissum ibi petendum esse, ubi hereditas relicta est, non quod alio loco non possit, sed quia eo loco conventus exceptionem fori actori opponere non possit, *leg. si fideicom. 50. §. ultim. cum leg. sequenti ff. de judic.* Nec tandem Donello favet textus *in d. l. quod legatur 18.* quem variis modis accipiunt Accursius *ibi*, Duarenus *ad tit. de jud. cap. de foro comp.* Hothomanus *l. 2. obs. cap. 7.* Vultejus *in d. l. unica, Cod. ubi fideicom. petit.* Quibus omissis placet nunc sententia Vinii *d. cap. 18.* qui textum illum accipit specialiter in re legata, eo quod legatario sufficere debeat, si heres, a quo legari præstandi necessitas non cœpit, eo in loco ubi res est, offerat solutionem de qua, seu rei legatæ præstatione, Jurisconsultus agit; unde recte deducit Vinius, Jurisconsultum in illis verbis, *Etiam ibi peti debet ubi res est*, vim & effectum solutionis recipere, quia si alibi petatur heres tamen ubi res est, eam solvere valet.

CAPUT IV.

a Gregorius *Bonifacio Defensori Corsicæ*.

EXperientia tua non sine culpa est, quod *b* Aleriam, atque *c* Adjacium civitates *d* Corsicæ diu sine Episcopis esse cognoscens, Clerum, & *e* populum ad eligendum sibi sacerdotem distulerit commonere. Quæ quoniam sine proprio amplius non debent esse Rectore, præsenti auctoritate suscepta, Clerum & populum singularum civitatum hortari sestina, ut inter se dissentire non debeant, sed uno sibi consensu unaquæque civitas consecrandum eligat sacerdotem. Et facto decreto, ad nos is, qui fuerit electus, adveniat; si autem in uno consentire noluerint, sed in duorum se electione diviserint, similiter decretis ad nos de more factis adveniant, ut *f* requirentes de vita, actu & moribus eorum, is qui utilior visus fuerit, ordinetur. Quia vero multi illic pauperes opprimi, ac pati præjudicium perhibentur, experientia tua solicitudinem gerat, & gravari eos contra justitiam non permittat; sed ita studeat, ut nec agentes contra rationem impediri, nec hi contra quos agitur, injuste valeant dispendium sustinere. Præterea pervenit ad nos, quod quidam clericorum, te illic *g* posito, a laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noveris reputari, quia hoc fieri, si homo esses, non debuit. Et ideo de cetero solicitudinem te habere necesse est, ut hoc fieri non permittas; sed si quis contra aliquem clericum causam habuerit, Episcopum ipsius adeat. Qui si forte suspectus fuerit, *h* executor vel ab ipso, aut si & hoc actor refugerit, a *i* tua experientia est deputandus, qui partes sibi mutuo consensu compellat eligere. A quibus quidquid fuerit definitum, ita *k* vel tua, vel Episcopi solicitudine, *l* servata lege, modis omnibus compleatur, ut non se possint litigiis fatigare.

NOTÆ.

1 a *Gregorius*.) Magnus videlicet, in cujus regestro epistolarum, *lib. 9. indict. 4. epistol. 74.* reperiuntur verba hæc a Raymundo transcripta, ex qua epistola restituenda est integra hujus textus.

b *Aleriam*.) Civitas Aleriæ est in insula Corsica, testibus Plinio *lib. 3. cap. 6.* Ptolomæo *lib. 3. cap. 2.* Bonosus ejus civitatis Episcopus subscripsit Concilio Lateran. sub Martino: & Episcopo Alerienſi rescribit noster Gregorius *libro secundo indict. 14. epistol. 22.*

c *Adjacium*.) Urbs Adjacium, ante Urfidicinium appellata; similiter est insulæ Corsicæ, cujus meminerunt Gregorius noster *l. 1. ep. 74.* Opt. Milevit. *lib. 1.*

d *Corsica*.) Corsica, referente Plinio *l. 3. cap. 6.* est insula in mari Ligustico, inter Italiam, & Sardiniam, a Septentrione in Meridiem projecta, de qua Ovidius *eleg. 1.*

Mella sub infami Corsica mittit apis.

Ejus descriptionem prosequitur Marisotus *libr. 1. orbis marit. cap. 34.*

e *Clerum, & populum*.) Clerum ad eligendum, populum ad consentiendum, & testimonium perhibendum ut late exposui *in c. 2. de elect.*

f *Requirentes*.) Cum enim Pontifex debeat confirmare Episcopos electos, debet etiam inquirere de vita, & moribus electi, ut probavi *in capitulo tertio de elect.*

g *Posito*.) Ut defensore videlicet, seu interventore, qui vacantem Ecclesiam, & ejus fructus curat, *c. constitutus 22. 7. q. 1.* illustravi *in c. no pro defectu 51. de elect.*

h *Executor, vel ab ipso*.) Hæc praxis difficilis videtur ex eo, nam licet judices suspecti, tam ordinarii, quam delegati, recusari possint, *c. causam 17. cap. insinuante 25. cap. super 27. §. si vero, c. suspicionis 39. de offic. deleg. cap. causam quæ, de judiciis, c. cum inter 5. de except. cap. inter 20. de re judic. c. secundo 41. cap. postremo, c. cum speciali 61. de appellat. leg. apostolicis, Cod. de judiciis*, ne quis cogatur coram inimico litigare, *dict. cap. cum inter 5.* ibi: *Cum periculosum sit coram suspecto judice litigare*. Illustrant Covar. *pract. cap. 26.* Ostiadus *ad Donel. leg. 17. comm. cap. 25.* Moneta *de commut. ult. volunt. cap. 8. num. 610.* Carrasco *ad ll. recopil. lit. de recus.* Tamen certa forma a jure Pontificio hujusmodi recusationibus præscripta est, videlicet quod intendens recusare judicem ecclesiasticum ut suspectum, debet coram eo proponere recusationis causas, easque probare coram arbitris communiter eligendis; & si causæ probatæ non fuerint, judex recusatus sua utitur jurisdictione; si vero probentur, recusatus omnino removetur a causæ cognitione, & ad superiorem negotium remittitur, *dict. cap. suspicionis, dict. cap. cum speciali, cap. Judex, de offic. deleg. l. 6.* nisi causa recusationis opponatur judici delegato, cum plures dati sint, quia tunc arbitri non eliguntur, sed alii de causa cognoscunt, *cap. si contra 4. de offic. deleg. l. 6.* vel si vicarius Episcopi recusetur, quo casu coram Episcopo causa recusationis probanda est: igitur non recte Gregorius in præsenti affirmat, recusato Episcopo alium judicem esse dandum, cum potius arbitri essent eligendi, qui de causis suspicionis cognoscerent. Agnoverunt difficultatem antiquiores repetentes in præsenti, & varias adducunt solationes. Aliqui affirmant, in præsenti arbitros electos fuisse, & causas suspicionis probatas: alii docent decisionem istam abrogatam esse per textum *in dict. cap. cum speciali*. Sed illis omissis, placet sententia Abbatis *in præsenti, num. 12.* Morlæ *in emporio, tit. de jurisdict. in princ. num. 183.* qui exaudiunt nostrum Gregorium eo casu, quo recusationis causa notoria est, Episcopusque vult etiam arbitris non electis alium judicem dare; quo casu si talem judicem litigator recusaverit, cogendus erit in judices consentire, ut liti finis imponatur.

i *A tua*.) Non tamen ipse defensor de causis Episcoporum, vel eorum subditorum cognoscere valebat, non quia laicus erat, ut Cujacius in præsenti existimabat, cum plerumque Diaconus, aut saltem Subdiaconus, tamquam defensor Ecclesiæ a Pontifice mitteretur, ut probat D. Rochus Pirro *t. 1. Siciliæ sacra, in Ecclesia Panorm. pag. 67. n. 6.* sed quia defensor, non ut Legatus Sedis Apostolicæ in Provincia mittebatur, *c. pervenit 39. 11. q. 1.* docet Cæsar *de Eccl. hierarch. disp. 3. §. 2. n. 3.*

k *Vel tua, vel Episcopi*.) Hæc verba exposui in commentario textus *in c. significasti, n. ult. de offic. del.*

l *Servata lege*.) Videlicet *l. a D. Pio 15. ff. de re judic.* quæ formam executionibus præscripsit, ut post Cujacium *hic*, exposuit Vultejus *de judiciis l. 3. c. ult.*

CAPUT V.

Alexander *a* III.

SI clericus laicum de rebus suis, vel Ecclesiæ *b* impetierit, & laicus res ipsas, non Ecclesiæ esse, aut clerici, sed suas proprias *c* asseverat, debet de rigore juris ad forensem judicem trahi, cum actor forum rei sequi debeat, licet in plerisque partibus aliter de consuetudine *d* habeatur.

NOTÆ.

1 a *Alex. III.*) In prima collectione, *sub hoc tit. c. 7.* legitur, *Idem: pars capituli inter alios*; post Conc. Later. *p. 8. c. 7.* habetur, *Idem Bononiensi Episcopo*, sed utrobique male, legendum enim est, *Alexander Genuensi Episcopo*: ut enim ex illis priioribus verbis hujus textus, *si vero presbyter*, colligitur, in præsenti pars tantum cujusdam epistolæ decretalis refertur, cujus principium aliunde petendum est: illud autem reperitur *in c. nos inter 4. de offic. Ord.* & alia fragmenta hujus decretalis extant *in c. super eo 3. de testibus, c. nos inter 6. de purgat.* ex quibus restituenda est præsens inscriptio. De Ecclesia Genuensi aliqua adduxi *in c. cum inter, de elect.*

b *Impetierit*.) Actione reali, ut ponit Cujacius *in præsenti*.

c *Asseverat*.) Ergo si laicus conventus, res esse Ecclesiæ, vel clerici non negaverit, ad Judicem Ecclesiasticum trahi poterit. Ita post antiquiores in præsenti a contrario sensu deduci. P. Barbosa *in l. si quis alienam, nu. 140. ff. de judic.* sed perperam, cum argumentum a contrario sensu, cum sequitur absurdum, in jure non admittatur, *l. conventiculæ 15. Cod. de Episc. & cleric. l. 2. de condit. insert. cap. a nobis 28. §. nec obstat, de sentent. excom.* & in præsenti sequatur, siquidem actor debet sequi forum rei, *c. cum sit 8. hoc tit.* igitur sive laicus affirmet, sive neget res possessas Ecclesiæ, vel clerici esse, semper conveniendus est coram proprio judice. Accedit, nam verba priora hujus textus, usque ad illa, *debet de rigore juris*, mere narrativa sunt, ac ideo nihil disponunt, *c. si Papa 10. de privil. lubr. 6. Clement. finali de sent. excom.* unde in præsenti nullo modo Alexandrum statuere, ut laici possidentes res Ecclesiæ, vel clerici possent conveniri coram judice ecclesiastico, jam probarunt Suarez *in defens. fidei; lib. 4. c. 14. nu. 14.* Velasc. *de privil. pauper. part. 1. quæst. 52. num. 26.*

d *Habeatur*.) Ut usitatum fuit apud Gallos Belgicos, ubi prætextu consuetudinis clerici etiam actores laicos coram ecclesiasticis judicibus conveniebant, *c. 2. de alien. jud.* ad quam consuetudinem plures referunt textum *in c. 2. de ordin. cognit.* sed quam perperam, ibi demonstrabimus.

CAPUT

CAPUT VI.

a Idem.

EX transmissa nobis insinuatione B. C. & Vv. Militum Ecclesiæ tuæ, intelleximus quod cum R. *b* de Casaville eos super quadam possessione coram *c* Trecensi Episcopo traxisset in causam, nobilis vir de *d* Campis eorum Dominus sub debito fidelitatis eis inhibuit, ne de sæculari feudo in judicio ecclesiastico responderent, itaque præfatus Episcopus in eos velut contumaces excommunicationis sententiam promulgavit. Per Dominum *e* feudi causam jubeas terminari, & si ipse *f* malitiose distulerit, ut ei debitum finem imponas.

NOTÆ.

1 a *Idem*.) Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* non expresso judice, cui missa sit hæc epistola; sed supplenda est hæc inscriptio ita, *Alexander Senonensi Archiepiscopo*, ut habetur post Concilium Lateran. *p. 46. cap. 5.* De Ecclesia Senonensi plura notavi *in c. 1. de rescript.*

2 b *R. de Casaville*.) Sed quare iste R. adjerit Trecensem Episcopum super feudo laicali, difficile agnoverunt Glossa & antiquiores *in præsenti*: sed eorum sententiis omissis, veram hujus textus interpretationem adduxi *in cap. ceterum, de judic.* 3

c *Trecensi*.) De Trecensi Ecclesia jam nonnulla notavi *in cap. 8. de constit.*

d *De Campis*.) *De Capis*, emendat Bosquetus *ad Innoc. lib. 2. registr. 14. epist. 127.*

e *Dominum feudi*.) Juxta adducta *in c. ceterum, de judiciis*, ex cujus commentario petenda sunt, quæ hic spectant. 4

f *Malitiose distulerit*.) Judex enim Ecclesiasticus supplet negligentiam sæcularis, non econtra, ut probavi *in cap. quæliter 17. de judic.* 5

CAPUT VII.

a Idem.

VErum quoniam de quibusdam feudis adversus Præpositum quæstio mota fuit, statuimus, ut ex quo Episcopus fuerit consecratus, de feudis ipsis sub suo judicio cognoscatur, si ad Ecclesiasticam conditionem pertineant, alioquin beneplacito Imperiali (sicut justum fuerit) relinquatur.

NOTÆ.

1 a *Idem*.) Nec ex hac, nec ex secunda compilatione, ubi *sub hoc tit. cap. 6.* refertur hæc decisio, liquet Prælatus cui missa sit: tantum ex prioribus verbis hujus textus constat, in præsenti referri fragmentum cujusdam decretalis. Textum hunc exposui *in c. nosti 9. de elect.*

CAPUT VIII.

a Lucius III.

CUm sit generale, ut actor forum rei *b* sequatur, convenientius est, ut apud judices sæculares raptores prius conveniantur; sed si justitiam exhibere contempserint, aut judices ex quacumque causa fuerint negligentes, quia judicandi sunt sacrilegi ab Ecclesia, de crimine illo censuram poteris in eos Ecclesiasticam exercere. Verum quoniam sæculares judices in exhibenda justitia personis Ecclesiasticis sæpe in judicio sunt remissi, in favorem Ecclesiæ est introductum, ut malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum Rectores possint, sub quo maluerint, judice convenire.

NOTÆ.

1 a *Lucius III.*) Nec ex hac collectione, nec ex secunda, ubi *sub hoc tit. cap. 4.* reperitur textus iste; constat Prælatus, cui missa sit præsens decisio; in utraque tamen collectione tribuitur Lucio III. de quo aliqua notavi *in cap. ad aures, de tempor. ordin.*

2 b *Sequatur*.) *L. 2. l. in criminali, C. de jurisd. l. ult. C. ubi in rem actio, l. 4. C. Theodos. de jurisd. cap. neminem 3. qu. 2.* Hadrianus Pontifex *in epist. ad Episcopos Mediomatr. c. 2. them. 8.* etiamsi clericus laicum conveniat, *c. si quisquis 16. q. 1. c. si quis clericus 5. hoc tit. l. 2. C. de jurisd. l. fin. Cod. ubi in rem actio, l. 32. tit. 2. p. 3. l. 8. tit. 3. lib. 4. recop.* pluribus relatis, & ampliationibus, atque limitationibus adductis illustrant Donellus *lib. 17. comment. c. 12.* Barb. *in axiom. verbo Actor*, Linglois *ad 50. dec. 13. q. 6.* Valenzuela *consil. 38. n. fin.* Vela *to. 2. differ. 40. nu. 4.* cui juris utriusque principio opponi solent textus *in c. constitutus, de in integr. restitut.* cujus interpretationem in ejus notis adduxi: & textus *in c. exposita 11. de arbitris*, cui varias solutiones assignat Abbas *ibi, n. 2.*

COMMENTARIUM.

3 Conclusio probatur. EX hac Lucii decretali communiter DD. sequentem deducunt assertionem: "Raptores, seu detentores rerum Ecclesiarum, coram utroque judice, tam Ecclesiastico, quam sæculari, conveniri possunt. „ Probant eam textus *in cap. nulli 3. cum sequentibus, 12. q. 2. c. conquestus, hoc tit. c. 2. de privil. c. relatum, §. fin. de jurepatr. c. ad nostram, de rebus Eccl. c. fin. de restitut. spol. Trid. sess. 22. de reform. c. 11.* Consonat lex *10. tit. 18. p. 3.* Illustrant plures congesti a Balboa, Vega, & Fermosino *in præsenti*, Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, quibus addendi sunt Duarenus *de judic. cap. de foro compet.* Pereyra *de manu Regia, p. 2. c. 29.* Roussel. *lib. 6. histor. Pontif. jurisdict. cap. 2.* D. Joseph Vela *in cap. 1. de offic. Ordin. 1. p. n. 54.* P. Gregorius *3. p. syntag. lib. 33. c. 14. n. 7.* Carleval *de judiciis, lib. 1. tit. 1. disp. 2. q. 4.*

4 Traditur ratio decidendi. Quæ assertio impugnari potest sequenti consideratione, nam vulgaris regula quæ in præsenti adducitur, videlicet actorem forum rei sequi debere, locum habet non solum in causis civilibus, *d. l. 2. C. de jurisdict. c. si clericus 5. hoc tit.* sed etiam in criminalibus, *l. actor, C. ubi in rem, l. in criminali, C. de jurisdict.* itaut accusator teneatur sequi forum accusati. Igitur raptor, seu detentor rerum Ecclesiarum coram proprio judice, non vero coram Ecclesiastico est conveniendus. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam raptor, seu detentor rerum Ecclesiæ sacrilegium committit, ut in præsenti docetur, & infra illustrabimus: sed sacrilegium est mixti fori crimen, *l. si quis hoc 10. Cod. de Episc. & Cleric.* Probant Div. Joannes Vela *de delictis c. 30.* Martha *de jurisd. 2. p. c. 27. n. 14.* Cabal. *resol. crimin. casu 194. n. 9.* D. Joseph Vela *in c. 1. de offic. ordin. 1. p. n. 54.* Ideoque in eo, tamquam in aliis delictis mixti fori, præventioni locus est, ut monui *in c. 1. de offic. ordin.* Igitur si in præsenti specie judex sæcularis cœpit cognoscere de sacrilegii crimine, ut supponitur in illis verbis, *sunt remissi*, non recte Lucius III. affirmat adhac judicem Ecclesiasticum posse contra hujusmodi detentores procedere.

Qua difficultate minime refragante, vera est Lucii III. decisio, pro cujus expositione sciendum est inter alias sacrilegii species, quas prosequuntur ultra supra laudatos, Suarez *de relig. t. 1. lib. 3. c. 3.* Azor. *p. 1. instr. moral. lib. 9. cap. 27.* Jul. Clarus *§. sacrilegium*, Bossius *in praxi, titul. de sacrilegiis*, Peguera *in praxi, cap. 14.* Salcedo *etiam in praxi, c. 87.* Cantera *quæst. crimin. c. 8. n. 16.* alii Criminalistæ congesti a Vela *in d. cap. 1. num. 54. & cap. 30.* Pichardus *in manuduct. ad praxim crimin. lit. S*, Beyerlinch *tom. 7. in theatro, verbo Sacrilegium*. Borell. *to. 2. decis. tit. 7. de sacrilegio*. Cujacius *lib. 13. observ. cap. 19.* Petrus Gregorius *lib. 33. syntag. c. 14.* eam præcipuam esse, quæ committitur in ablatione, seu expilatione rei sacræ, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, *cap. quisquis, c. sacrilegium, 17. q. 4.* ut describunt Jurisconsulti *in l. 4. §. 1. l. sacrilegii 9. §. 1. l. 11. §. 1. ff. ad l. Jul. pecul.* docent Ant. Matthæus *to. 2. de crimin. ad l. Jul. pecul. cap. 3.* quod delictum utroque jure vindicatur, & jure Cæsareo, speciali lege, videlicet lege Julia peculatus, & de sacrilegiis, qua ex primo capite ille tenebatur, qui publica sacra, privataque, idest Lares, Penates, ut exponit Basilius *lib. 1. de matrimon. cap. 2.* expilasset, seu auferret, *l. lege 4. l. sacrilegii 9. §. 1. Digestis ad leg. Jul. pecul.* sive pecuniam sacram, seu publicam surripuisset, *d. l. lege 4. §. 4.* cui opponi solent textus *in l. lege 9. ff. ad leg. Corn. de falsis, leg. defensionis 7. C. de jure fisci, l. 2. Cod. de quibus causis infam. l. fin. de servis fugitivis*: quod & ad pecuniam civitatis surreptam constitutionibus Trajani, & Hadriani protractum fuit, *d. la lege 4. §. sed & si 8.* pro cujus conciliatione cum lege *ob pecuniam 81. Digestis de furtis*, videndi sunt Duarenus *lib. 2. disp. c. 26.* Petrus Faber *lib. 1. semestr. c. 22.* Fornerius *lib. 2. select. c. 22.* Valentia *lib. 1. illustr. tr. 2. c. 5. n. 16.* Amaya *lib. 3. observ. c. 7. n. 20.* D. Josephus de Retes *lib. 1. epist. c. 15.* Circa catum vero ablatæ rei non sacræ a loco sacro non consentiunt

Doctores: negant sacrilegium committi Sotus *lib. 5. de justit. quæst. 3. art. 1.* Fagundez *in Eccles. præcept. lib. 4. quæst. 4. num. 9.* Henriq. *lib. 2. summæ, c. 6. num. 5. litt. N*, Diana *1. part. tract. 7. res. 27.* Affirmant Suarez *tract. 2. de releg. lib. 3. cap. 5. num. 7.* Bisciola *tom. 1. succes. lib. 20. cap. 26.* Rebel. *p. 1. de justit. lib. 3. qu. 15. num. 25.* Sed rectius distinguit Theophilus Raynaud. *tom. 12. tract. malo e bonis Eccles.* dum ait, quod si talis res loci sacri tutelæ sit concredita, sacrilegium committitur, secus vero si non est ex ea causa in loco sacro deposita. Circa pœnam sacrilegii sciendum est, olim fuisse aquæ & ignis interdictionem, postea extra omnem sacrilegium vindicatum fuisse, *ex lege 4. §. mandatis*, probat Ant. Matthæus *ubi supra, c. 4.* plerumque capitalis pœna imponitur, *lege si quis 10. Cod. de Episc. & Cler. lege aut facta 16. §. locus, ff. de pœnis, l. sacrilegii 9. in princ. ff. ad leg. Jul. peculat.* D. Thomas *2. 2. quæst. 99. art. 4. lege 18. tit. 14. par. 7.* veluti si res sit magni valoris, Menochius *de arbitr. casu 389.* ut de cruce argentea resolvunt Gomez *3. p. var. c. 5.* Jul. Clarus *lib. 5. sent. §. sacrilegium*, Peguera *in praxi, cap. 25.* Farinac. *de furtis, qu. 172. n. 35.* Borellus *tit. 7.* qui refert quosdam fures crucis argenteæ, & alios pallæ altaris fuisse furca suspensos. Jure etiam Pontificio in hujusmodi sacrilegos variæ sunt statutæ pœnæ, ut constat *ex cap. sacrilegium 5. c. si quis deinceps 12. 17. q. 4. c. si quis Episcopus 27. qu. 1.* & aliis congestis ab Ant. August. *in epit. lib. 29. tit. finali*.

5 Traditur ratio decidendi. Quibus animadversis facile cognoscitur ratio præsentis decisionis; nam si juxta juris utriusque regulas sacrilegium committatur, quoties non sacrum de sacro aufertur, aut res religiosa detinetur, qui bona Ecclesiæ, alimoniæ ministrorum, & pauperum, cultuique Ecclesiastico deputata improbo animo occupat, atque detinet, sacrilegium proculdubio committit, ut Lucius in præsenti docet; & cum hoc delictum inhibitum fit, atque vindicatum, tam legibus Ecclesiasticis, quam sæcularibus, ab utroque judice, tam laico, quam Ecclesiastico puniri valet; tamquam delictum misti fori, cujus cognitio æque principaliter competit judici sæculari, & Ecclesiastico, *cap. proposuisti, hoc tit. cap. felicis, vers. per hoc, de pœnis lib. 6.* nec Lucius III. hoc noviter statuit, sed jam fuisse introductum in favorem Ecclesiæ (ut ipse fatetur) decrevit, antea enim idem sanxerunt Gregorius Magnus *in c. 2. de privil.* Bonifacius, Pius, Anacletus, & Urbanus *in cap. nulli, cap. prædia, cap. qui abstulerit, 11. quæst. 1. cap. attendendum, cap. sacrilegium, 17. quæst. 4.* Licet enim secundum juris antiqui rigorem laici rerum Ecclesiasticarum invasores coram sæculari judice essent conveniendi, quia stricte hæc detentio pro sacrilegio non habebatur, unde jura in quibus de hoc delicto agitur, utuntur verbis improprietatem, & similitudinem denotantibus *d. c. prædia*, ibi: *Ut sacrilegus judicetur; c. conquestus, hoc tit.* ibi: *Tamquam sacrilegi*; Lucius *in hoc textu*, ibi: *Sacrilegi sunt censendi*; tamen cum in favorem Ecclesiæ sit receptum, ut hujusmodi detentores & invasores pro sacrilegis habeantur, necessario juxta juris regulas deducitur, eos tam a sæculari judice, quam Ecclesiastico esse plectendos, & in ejus delicti cognitione præventioni locum esse, nisi judex sæcularis negligens sit in ejus punitione; quia cum judex Ecclesiasticus possit supplere negligentiam sæcularis, *c. qualiter 17.* ubi probavi *de judiciis*, eo negligente in vindicta hujus delicti, potest Ecclesiasticus in hujusmodi invasores animadvertere. Illustrat aliorum sententias referens, & refellens A. Barbosa *in c. 2. de privil.*

6 Respondetur dubitandi rationi. Nec dubitandi ratio supra adducta obstat, procedit enim principium ibi expensum in delictis ordinariis, non vero in delictis misti fori; in his enim actor non tenetur sequi forum rei accusati; sed coram judice Ecclesiastico, vel sæculari potest eam recusare, quia coram utroque fortitus est forum ratione delicti. Duarenus *d. cap.... de foro compet.* unde cum in favorem Ecclesiæ receptum sit; ut invasor, seu detentor rerum Ecclesiæ, sacrilegus judicetur, potest coram utroque judice, tam Ecclesiastico, quam sæculari conveniri. Nam argumentum dubitandi rationis refragatur; fatemur enim sacrilegium esse delictum misti fori, in eoque præventioni locum esse; sed si judex sæcularis, qui cœpit de eo cognoscere, negligens sit in ejus vindicta, judex Ecclesiasticus qui supplet ipsius negligentiam, de eo cognoscere valet, *ex d. c. qualiter 17. de judiciis*.

7 Intelligitur c. ad aures, de rebus Eccles. Ex supra traditis accipit lucem textus *in c. ad aures 11. de rebus Eccles. non alien.* ubi cum Monasterium Tusiense villam feudi titulo in laicum alienasset, postea enormiter se læsum fuisse contra ipsum laicum coram R. Pontifice proposuit, qui causam certis judicibus delegatis commisit, ut si constaret ipsum monasterium enormiter læsum fuisse, ad possessionem prædictæ villæ restituerent. Qui textus difficilis valde videtur, juxta axioma in principio hujus textus a Lucio propositum; nam si laicus possessor villæ reus erat, quomodo non conventur coram judice sæculari, sed prius coram Ecclesiastico. Cujus difficultatis solutio provenit ex supra traditis pro ratione decidendi; nam cum in ea specie monasterium esset læsum, & laicus in ejus præjudicium feudum detineret, itaut in integrum restitutio monasterio læso competeret, ad rescissionem contractus recte coram judice Ecclesiastico, non vero coram sæculari convenitur laicus: unde deducunt Covar. *lib. 1. var. cap. 4. num. 2.* Guttier. *lib. 1. canonic. cap. 34. nu. 10.* Caldas Pereyra *in l. si curatorem, verbo implorandum, n. 32. C. de in integr. restit.* Diana *p. 1. resol. tract. 2. resol. 81.* quod quoties Ecclesia læsa intendit rescissionem contractus, debet petere in integrum restitutionem coram judice Ecclesiastico, qui agit adversus detentorem rerum suarum.

8 Exponitur c. relatum in fine de juspatron. Deinde superiori assertioni obstat textus *in c. relatum, de juropatr.* ubi proponitur, in Anglia corruptelam invaluisse, itaut laici frequenter Ecclesias propriis possessionibus spoliarent, ut sic Ecclesiasticas personas coram sæculari judice compellerent litigare. Consultus Alexander III. decrevit, ut id de cetero sub interminatione anathematis prohiberetur. Ex quo textu aperte liquet, invasores, & detentores rerum Ecclesiarum coram judice sæculari debere conveniri, siquidem ea spoliatione, & invasione utebantur laici Anglicani, ut facerent Ecclesiasticas personas coram sæcularibus judicibus litigare. Igitur quia invasores rerum Ecclesiarum non possunt coram judice Ecclesiastico conveniri. Sed huic difficultati etiam ex supra traditis respondendum est, ideo enim jubet Alexand. III. hujusmodi invasores excommunicationis mucrone feriri, quia per talem spoliationem, seu invasionem sacrilegium incurrunt, unde adversus eos tamquam sacrilegos judex Ecclesiasticus procedere valet, & loquitur Pontifex ante præsentem constitutionem.

9 Intelligitur cap. si quis contra, hoc titul. Rursus adversatur præsenti assertioni textus *in c. si quis contra 4. hoc tit.* ubi deciditur, quod si Ecclesia adversus laicum intendat actionem in rem, laicus autem rem propriam esse asseveret, coram judice sæculari est conveniendus, nisi aliter consuetudine introductum sit. Ex quo textu facile deducitur, invasores, seu detentores rerum Ecclesiasticarum, non posse coram Ecclesiastico judice conveniri. Cui difficultati respondendum est asserendo, in eo textu non agi de violento possessore rerum Ecclesiæ, sed de possidente rem Ecclesiæ ut suam, & propriam, absque ulla invasione, sed cum titulo, & bona fide; qui cum sacrilegium, aut violentiam in eo perpetraverit, ideo coram Ecclesiastico judice conveniri non potest, sed tantum coram sæculari, ex illa sæpius inculcata regula: *Actor forum rei sequi debet*.

10 Adducitur textus in c. 2. de ord. cognit. Ex supra dictis, & præsenti decisione aliqui ita accipiunt textum *in c. 2. de ordin. cognit.* ubi Abbas de Perentino quæstionem proposuit coram Innoc. III. coram quo conquerebatur de quibusdam nobilibus, qui monasterium suum propriis rebus spoliaverant, atque alia damna in ipsius possessionibus dederant. Innocentius causam commisit certis judicibus, ut de prædicta spoliatione cognoscerent. Omnes repetentes, Primariique nostri difficultatem agnoverunt, quomodo videlicet nobiles, cum rei in judicio essent, coram Ecclesiastico judice, non vero coram sæculari conventi fuerunt? Siquidem juxta hujus textus principium actor debeat sequi forum rei. Omissis aliis solutionibus, Balboa, Garanna, & alii ab eis relati affirmant, nobiles in ea specie tamquam invasores rerum monasterii coram Ecclesiastico judice conveniri potuisse ex hujus textus decisione. Sed licet hæc solutio defendi possit, vera ejus textus interpretatio ex cognitione Provinciæ ubi casus contigit, provenit, quam in ejus notis illustrabimus.

C A P U T IX.

a Cælestinus III.

QUod clericis. *Et infra:* Nullus Episcoporum, vel clericorum ad judicia sæcularia est *b* trahendus, habent enim illi judices suos, nec quidquam est eis publicis commune cum legibus. *c* Bonifacius vero Papa, & *d* Gelasius, & alii plures antecessorum nostrorum antiquioribus *e* Concilii consonantes, sicut bene patet viris utriusque juris peritis, id ipsum in sacris constitutionibus ediderunt. Hac igitur ratione inducti per Ap. scripta mandamus, quatenus si quas causas *f* sæculares clerici *g* Parisiis commorantes habuerint contra *h* aliquos, vel aliqui contra eos, appellatione remota, jure canonico decidatis, nec permittatis juri scripto consuetudinem prævalere.

NOTÆ.

1 a *Cælestinus.*) Non constat ex hac collectione, nec et secunda, ubi *sub hoc tit. c. 5.* reperitur hic textus, de Prælato, cui rescripserit Cælestinus III. Existimo tamen supplendam esse inscriptionem ita: *Cælestinus III. Parisiensi Episcopo*; cum enim agatur in hoc textu de causis clericorum Parisiis commorantibus, necessario de Episcopo Parisiensi accipiendus est, eorum judice ordinario. De Ecclesia Parisiensi aliqua notavi *in c. fin. de rescript.*

b *Trahendus.*) Juxta adducta *in c. ceterum, de judic.*

c *Bonifacius.*) Relatus *in capite nullus 8. 11. q. 1.*

d *Gelasius.*) Compilatus *in c. Christianis 12. 11. q. 1.*

e *Conciliis.*) De quibus *in causa 11. q. 1.* Eaque juxta seriem temporum refert Coriolanus *in breviario, anno....*

f *Sæculares.*) In sexta collectione legitur, *pecuniarias*; ex utroque autem verbo constat, Cælestinum agere non de personis Clericorum, sed de eorum causis.

2 g *Parisiis.*) Inde deducit Angajanus *lib. 2. de legibus, cap. 17. n. 104.* præsentem constitutionem esse localem, quod novum non est in jure; plerumque enim in jure inseruntur leges certis tantum locis rogatæ, *cap. 1. de locato, cap. super, de privil. l. 1. §. ult. ff. de censibus*, & aliis.

3 h *Contra aliquos.*) Hæc verba merito difficilia sunt juris Interpretibus; nam si actor sequitur forum rei, juxta adducta superiori commentario, necessario causa terminari debet juxta leges peculiares illius tribunalis, ubi conventur. Accedit, nam qui ratione contractus fortitur secundum leges illius loci, & temporis, quo contractus celebratus est, *leg. si fundus 8. ff. de evict. l. 2. ff. quemad. restam.* Si autem actione reali conveniatur, secundum leges rei sitæ causa decidenda est, *l. an in totum, Cod. de ædific. privat.* etsi ratione delicti, vel quasi quis plectendus sit, *l. 2. Authent. quis in Provincia, C. ubi de crimin.* quia forum sortitur juxta leges proprias ipsius: igitur clerici Parisiis commorantes, laicoque convenientes ob causam sæcularem, uti debent legibus sæcularibus propriis, aut publicis civitatis Parisiensis. Agnoverunt difficultatem post Glossam omnes repetentes in præsenti, qui communiter affirmant, in terris Ecclesiæ, ubi Ecclesia jurisdictionem temporalem exercet, causas etiam sæculares esse decidendas juxta sanctiones canonicas. Glossa ultima *in c. 2. de delict. puer. verbo Lex*, Burg. de Paz *in l. 2. Tauri*, Covarr. *practic. c. 4. n. 2.* Unde cum Episcopus Parisiensis jurisdictionem temporalem exerceat in civitate Parisiensi, ideo causas clericorum in ea commorantium debere terminari juxta sacros canones. Lucius III. in præsenti decrevit. Sed hæc solutio sustineri non potest; convincitur enim primo *ex c. super specula 28. de privil.* in illis verbis: *Et occurrunt raro causæ Ecclesiasticæ, quæ non possint statutis canonicis expediri*. Ex quibus constat, in ipsa Parisiensi civitate Ecclesiasticas tantum causas sacris canonibus esse decidendas, cum sæculares, licet non legibus civilibus, quæ apud Francos in usu non erant, ut probat Cironius *in d. c. super specula*, & *lib. 5. observ. c. 6. 7. & 8.* sed capitularibus propriis, lege Salica, & consuetudine apud eos recepta, essent terminandæ; unde cum in præsenti textu agatur de causis sæcularibus contra laicos agitatis, non juxta canonicas sanctiones, sed potius juxta jus proprium Gallicanum erant decidendæ. Hac igitur solutione omissa, placet sententia Angajani, qui præsentem decisionem accipit non generaliter, sed tantum de clericis Parisiis commorantibus studiorum causa, quorum negotia sæcularia, seu pecuniaria, ut in hac sexta collectione legitur, sive ipsi laicos convenirent; sive ab eis convenirentur, a judice Ecclesiastico, & juxta sacros canones erant terminanda; unde cum in hoc textu tantum privilegium locale clericis Parisiis commorantibus concedatur, non potest pro constitutione generali accipi. Non novum est, ut scholastici, sive agentes, sive excipientes, non coram judice reorum, sed coram proprio judice reos conveniant, & compareant, ut late probat noster Escobar *de Pontif. & regia jurisd. c. 24. cum sequentibus*.

i *Consuetudine.*) An Ecclesiastici ligentur consuetudinibus laicorum, & juxta eas causæ Ecclesiasticæ possint terminari, exposui *in c. Ecclesia, num. ult.* 4

C A P U T X.

Innocentius III. a *Vercellensi Episcopo.*

LIcet ex suscepto servitutis officio simus omnibus in justitia *b* debitores, sic tamen in jure suo nos convenit quibusdam providere, ne aliis *c* injuriam facere videamur (& quod absit) inde sumatur materia scandali, unde provida debet consideratione sedari. Ex insinuatione famæ dil. f. *d* Consulum, & *e* Communis Vercellensis nos noveris accepisse, quod cum de singulis quæstionibus, quæ motæ fuerint contra eos, coram Consulibus justitiæ, juxta consuetudinem approbatam, velint cuiliber conquerenti justitiæ plenitudinem exhibere, quidam laici, ut eorum jurisdictionem evacuent, & fatigent eos laboribus, & expensis, super rebus, quæ judicium Ecclesiasticum non contingunt, litteras Apostolicas impetrant, & sic præter jurisdictionem Consulum quam enervant, eos cogunt multipliciter laborare. Volentes igitur sic eorum utilitati consulere, ne patiamur eorum justitiam deperire, f. t. per Ap. f. m. quatenus si quando a laicis tales litteras, super rebus præcipue, quæ forum sæculare requirunt, a Sede Apostolica contigerit impetrari, sublato cujuscumque appellationis obstaculo decernas auctoritate nostra inutiles, & inanes, dummodo dicti Consules, & Commune de se conquerentibus in judicio sæculari exhibeant justitiæ complementum. Liceat tamen ipsis qui cum eis taliter duxerint contendere, si fe in aliquo senserint prægravari, ad tuam, sicut hactenus servatum est, vel ad nostram, si maluerint, audientiam appellare, hoc f præsertim tempore, quo vacante *g* Imperio ad *h* judicem sæcularem recurrere nequeunt, qui a superioribus in sua justitia opprimuntur. Si vero Consules Justitiæ tamquam merito suspecti fuerint *i* recusati, coram arbitris communiter electis de causa suspicionis agatur, quæ si probata fuerit esse justa, ad te, vel ad nos pro justitia recurratur, sicut superius est expressum.

NOTÆ.

1 a *Vercellensi.*) Ita etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* Vercellensis civitas, vulgo dicta *Vercel*, est in Liguria, in Provincia Mediolan. ut referunt Plinius *lib. 5. hist. c. 17.* Merulla *in Gallia Cisalp. lib. 1. c. 3.* habet Ecclesiam Cathedralem, cujus Episcopus Simenius dictus subscripsit Concilio Aquilejensi, & Æmilianus III. Synodo Roman. sub Symmacho.

b *In justitia debitores.*) *Cap. quia diversitatem 6. de concess. prab.* Gratianus *in §. 2. vers. Item Hieronymus, 25. quæst. 2.* Petr. Cluniac. *lib. 5. epist. 4.* ibi: *Ad justitiæ sedem recurrit.* Gofridus Abbas *libr. 1. epist. 4.* ibi: *Ad sinum matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mamillam justitiæ sitientes confugimus.* Carnot. *epist. 46. 92. & 250.*

c *Injuriam facere.*) Consonat caput *inter quatuor, de majorit. & obed.* ibi: *Cum a nobis non debeant injuriarum actiones exoriri, a quibus justa, tamquam a fonte, ad cæteros derivantur.* Et caput *2. 16. q.* lex *meminerint 6. C. unde vi*, lex *2. Cod. de interdictis*, lex *1. C. de his qui veniam ætatis.*

3 d *Consulum.*) Vercellensis enim civitas Consulibus regebatur, ut etiam in aliis civitatibus Italiæ jam notavi *in cap. 2. de constit.*

e *Communis.*) Idest ipsius civitatis, seu universitatis Vercellensis, quæ Commune appellatur, ut etiam communem Thessalonicum appellatur *in l. si de vi 37. Digestis de judic. l. si duas 6. §. 2. Digestis de excusat. tut. l. 1. Digestis de appell.* Commune Siciliæ, Commune Cretensium, apud Ciceronem, & Ovidium relatos a Cujacio *in præsenti*.

4 f *Præsertim.*) Hinc Abbas, Hostiensis, & Socinus docent, stante consuetudine, ut a judice sæculari appelletur ad Episcopum, non posse appellari ad Rom. Pont. nisi in casu hujus textus, videlicet imperio vacante; & ita dictionem *præsertim*, hic accipi pro *tantum*, ut *in cap. illud, 12. dist. cap. si quis Episcopus damnatus 11. q. 3. c. si presbyter 7. qu. 1. cap. per singulas 16. qu. 3. c. multarum 27. quæst. 2.* & aliis congestis a Barbosa *de dction. verbo præsertim*. Sed contrarium, imo eo etiam casu posse appellari ad Romanam Sedem, defendunt in præsenti Butrius *num. 4.* Cardinalis *num. 1.* Barbatia *num. 3.* quos sequitur Angajanus *de legibus lib. 3. cap. 24. num. 32.* nam sicut jure ordinario appellari potest omisso medio ad R. Pontificem, *c. si duobus, de appellat.* ita cum jure speciali virtute consuetudinis introductum est, ut ad Episcopum appellari possit, recte eo omisso, ad Pontificem appellari valet, ut defendunt Angajanus *ubi supra*, Balboa *in d. c. si duobus, num. 12.* Moneta *de commut. c. 8. n. 10.*

g *Vacante Imperio.*) Tempore Innocentii III. Imperium vacavit primo morte Alexii II. anno 1203. Pontificatus ipsius anno 6. Secundo morte Balduini, anno 1205. Innocent. VIII. Tertio morte Henrici, anno 1206. Innocent. IX. unde præsens textus referendus est ad unum ex prædictis tribus temporibus: & quia cum vacat Imperium, non eligitur Vicarius, sed R. Pontifex succedit in exercio jurisdictionis temporalis, ut retuli *in c. venerabili 34. de elect.* ideo ad ipsum super causa sæculari merito jure appellari poterat. 5

h *Judicem sæcularem.*) Certum est, consuetudine introduci posse, ut ja judice sæculari appelletur ad Episcopum, vel aljum judicem Ecclesiasticum, ut constat ex illis verbis hujus textus, *hactenus servatum*: probant, & illustrant Angajanus *lib. 3. de legibus, c. 24.* Fermosinus *in præsenti, quæst. 13.* 6

i *Suspecti fuerint recusati.*) Quam praxim exposui *in c. suspicionis, de offic. deleg.*

C A P U T XI.

a Idem *Archidiacono*, & b *Thesaurario Turon.*

EX tenore litterarum Comitis *c* Britanniæ est nostris auribus intimatum, quod cum causam quæ inter mulierem nobilem E. & I. de Medua super hereditate noscitur agitari, vobis commisimus terminandam, ipse Comes eidem mulieri, cum tam ipsa, quam prædictus I. essent de foro ipsius, mandavit ut causam deferrent ad ipsum, pro-

promittens eidem quod faceret ei justitiæ plenitudinem exhiberi. Nobis nihilominus intimari procurans, quod in Curia sua debeat hujusmodi negotium terminari: & vos, & mulier supradicta, ei nequaquam obtempetare volentes, fatigatis in causa procedere, & sic sibi minus rationabiliter jurisdictionem auferre: unde nobis humiliter supplicavit, ut causam ipsam ad eum, ad quem specialiter pertinet, mittere dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sic fumus *d* viduis in justitia debitores, quod aliis injustitiam *e* facere non debemus: mandamus quatenus nisi sit talis causa, quæ ad Ecclesiasticum judicem pertinere noscatur, ei superfedere curetis, dummodo per judicem sæcularem suam justitiam possit obtinere: alioquin non obstante ipsius contradictione, causam ipsam ratione prævia terminetis.

NOTÆ.

a *Archidiacono.*) In tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 2. legitur, *Idem Archiepiscopo, & B. Cellerario Turon.* & recte, ut jam notavit Cujacius in præsenti. De Archiepiscopi Turonensis dignitate plura notavi *in c.* 5. *de temporibus ordin.* Casum hujus textus refert Altesserra *hic.*

b *Thesaurario.*) Qui Cellerarius dicitur in dicta tertia collectione: ejus officium retuli *in c.* 1. *de offic. custod.* Illud in præsenti addendum, Thesaurarium in eis Ecclesiis, in quibus prærogativam obtinet in Choro, & Capitulo, obtinere dignitatem, etiamsi jurisdictionem non exerceat, *c. cum olim, de consuet. c. cum venissent, de inst.* & ubi adest consuetudo, ut pro dignitate habeatur: unde plerumque legimus in jure, sive hoc volumine, Pontificem causas commiisse Thesaurariis, ut Thesaurario Lingoniensi, *in capite significavit, de conversf. conjug.* Nivernienfi, *in c. Cum olim Abbas, de offic. deleg.* Thesaurarium Turonensem qualemqualem exercere jurisdictionem in Canonicos suæ Ecclesiæ, refert Chopinus *de sacra polit. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 21.

c *Comitis Britannia.*) Britannia minor, deletis tribus Regulis, primo per Comites regebatur, postea per Duces cum clientela Regis, ut refert Aymonius *lib.* 1. *de gestis Franc. c.* 20. & *lib.* 4. *c.* 78. & 89.

d *Viduis.*) *Cap.* 2. & 2. 87. *dist. c. Regum* 13. *q.* 5. Innoc. III. *lib.* 1. *epist.* 36. in illis verbis: *Et specialiter viduis, & pupillis sumus in justitia debitores.* Et in Concilio Sardicensi jubetur Episcopis, ut viduis, & pupillis opitulentur, & in formula ipsis directa apud Cassiodorum *libr.* 11. ita cavetur; *Orphanis, viduisque contra sævos impetus debetis placita præstare solatia.* Et Imperator Ludovicus Comites admonet *lib.* 2. *capitul. c.* 6. his verbis: *Pupillorum vero, & viduarum, & ceterorum pauperum auditores, & defensores sitis.* Et *lib.* 2. *c.* 53. & *lib.* 4. *c.* 16. jubetur, ut viduarum causæ ante meridiem audiantur, causæ vero Regis, & Potentum post meridiem. Cum enim viduæ cuilibet despectui sint expositæ, majori indigent auxilio. Tertul. *lib.* 1. *ad uxorem*, ibi: " Nam de viduitatum honoribus apud Dominum
„ uno dicto ejus per Prophetam expeditum, juste facit viduæ
„ & pupillo: Venite, disputemus dicit Dominus. Duo ista no-
„ mina in quantum despectui humano, in tantum divinæ mise-
„ ricordiæ exposita, susceepit tueri Pater omnium: vide, quam
„ ex quo habetur, qui viduæ benefecerit, quanti est vidua ipsa,
„ cujus assertor Dominus disputavit. *Metuendum etiam est illud,*
„ *quod per Moysem Dominus comminatur Exodi c.* 22. Viduæ, & pupil-
„ lo non nocebitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, &
„ ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, per-
„ cutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii ve-
„ stri pupilli. „ Plura de viduarum commiseratione, & favore congerunt Ludovicus Cresolius *lib.* 3. *miscellag. c.* 47. Bignonius *in notis ad Marculf. lib.* 1. *cap.* 8. Mancinus *lib.* 2. *de triplici juris collat. c.* 96. Valascus *de privil. pauper.* 3. *p. q.* 3. Bened. Ægid. *de privileg. bonest. art.* 5. Nathen. *in justitia vulner. pag.* 615.

e *Injustitiam facere.*) Ut notavi in textu antecedenti.

COMMENTARIUM.

4 Conclusio tradituir, & probatur.

EX his duabus decisionibus sequens communiter deducitur disputanda assertio: " Laicus non potest contra laicum re-
„ scriptum justitiæ a Pontifice impetrare, nisi in defectum, seu
„ negligentiam judicis sæcularis. „ Probant eam textus *in c. ex transmissa, cap. ex parte, hoc tit. c. ex litteris, de pignor. c. nuper, de donat. inter, c. super quibusdam,* §. *ult. de v. s. cap. significantibus* 38. *de offic. deleg. c. significavit, de offic. ordin. Authent. ut differentia judicium,* §. *si vero contigerit.* Innocent. III. *lib.* 3. *ep.* 148. Consonat lex 10. *tit.* 1. *lib.* 4. *recepil.* Illustrant ultra congestos in præsenti a Barbosa *in collect.* & *to.* 6. *in select.* Balboa, Garanna, & Fermosino, Bosquetus *in not. ad Innocent. dicto lib.* 3. *ep.* 148. Ant. August. *in epist. lib.* 14. *tit.* 13. Angajanus *lib.* 3. *de legibus, c.* 23. Covarr. *practic. c.* 6. Barbosa *in l.* 1. *n.* 46. *ff. solut. matrim.* Michael Rosuel. *lib.* 6. *hist. Pontif. jurisd. c.* 1. *num. fin.* Velascus *de privil. pauper. p.* 3. Carleval. *lib.* 1. *de judic. tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *sect.* 7. Valenzuela *consil.* 150. *nu.* 96. Acunna *in c. licet, dist.* 87. Gudelinus *de jure novissf. lib.* 6. *cap.* 6. Solorzanus *tom.* 2. *de jure Ind. lib.* 3. *c.* 7. *num.* 57.

5 Improbatur hæc assertio.

Sed in casibus his duabus decisionibus comprehensis litteras justitiæ a Pontifice impetratas, etiam super causa temporali admitti debere, probatur sequentibus considerationibus. Prima ex eo nascitur, nam certum est, in specie textus *in cap. licet*, vacasse Imperium, cum litteræ impetratæ fuerint, ut in eo notavi: sed vacante Imperio omnis jurisdictio temporalis penes Romanum Pontificem residet, *extravag. non sancta*, Joannis XXII. *ne Sede vacante*: igitur sicut omni tempore R. Pontifex potest in causis Ecclesiasticis litteris justitiæ jurisdictionem delegare, quia earum judex ordinarius est, ita & vacante Imperio, quia jurisdictio temporalis residet penes ipsum, poterit causæ temporalis cognitionem etiam inter laicos litteris suis committere. Secunda juris consideratio militat adversus decisionem textus *in cap. ex tenore*, & nascitur ex eo principio, quo docetur viduam tamquam miserabilem personam posse eligere judicem, coram quo actionem intendat, sive ipsum Principem, *ex l. unic. C. quando Imperator inter paup. & viduam*; sive judicem Ecclesiasticum, *c. si quid de potentibus* 21. *c. illis qui* 25. 24. *qu.* 3. *cap. ex parte* 15. *hoc tit. c. super* 26. *in fine, de v. s.* late post plures docent Velascus *tom.* 1. *de privileg. pauper. quæst.* 52. Carleval. *d. quæst.* 7. Villaroel *part.* 2. *regim. Eccles. quæst.* 14. *art.* 3. sed in specie textus *in d. c. ex tenore*, vidua litteras impetravit, ut coram judicibus Ecclesiasticis adversarium conveniret: igitur ut litteræ impetratæ a miserabili persona sustineri debeant.

6 Traditur ratio decidendi.

Qua difficultate minime refragante, vera est præsens decisio, cujus ratio provenit ex distinctione potestatis sæcularis, & Ecclesiæ; licet enim penes R. Pontificem resideat utraque potestas, tamen diverso modo: nam potestas Ecclesiastica adest penes eum in habitu, & in actu; potestas vero temporalis residet penes eum ex habitu, sed non in actu, ut probavi *in cap. solite, de majorit. & obedient.* unde cum quælibet potestas suos proprios judices habeat, non debet alter in alterius segetem falcem mittere, nec laicus debet convenire laicum coram judice Ecclesiastico virtute rescripti Apostolici, *d. l.* 10. *titul.* 1. *lib.* 4. *recep.* licet tale scriptum justitiæ ipso jure nullum non sit, cum negligente judice sæculari justitiam administrare, executioni mandaretur, *cap. qualiter* 17. ubi dixi, *de judic.* sed effectus hujusmodi rescripti suspenditur, donec judex sæcularis ordinarius de ipsa causa plene cognoscat. Accedit, nam certum est, illum judices dare posse, qui jurisdictionem in ea causa habet, *l. more*, *ff. de jurisdict. cap. fin.* §. *fin. de offic. deleg.* late probavi *in c.* 3. *eod. titul.* sed R. Pontifex potestatem, seu jurisdictionem in causis temporalibus tantum in habitu, non vero in actu habet: igitur in hujusmodi causis sæcularibus non poteſt R. Pontifex earum cognitionem delegare, nisi data negligentia in judice sæculari; unde cum nec in specie textus *in cap. licet*, nec in casu capitis *ex tenore*, daretur negligentia ex parte judicis sæcularis, recte litteræ a Pontifice impetratæ suspenduntur, nec earum virtute judices delegati in causæ cognitione procedere valent: docent late Vega, & Balboa *in presenti*. Angajanus *lib.* 3. *de legibus, cap.* 23.

7 Respondetur difficultatibus.

Nec obstat prima difficultas deducta ex illis verbis textus *in cap. licet*, ibi: *Præsertim vacante Imperio*; nam in ejus textus specie litteræ Pontificiæ in causa temporali sustineri poterant, non solum quia vacante Imperio penes Innoc. III. omnis potestas temporalis refidebat: verum quia juxta consuetudinem Vercellensem in causa etiam temporali appellari poterat ad Episcopum a judice sæculari, & per consequens omisso medio ad ipsum R. Pontificem. Irritantur ergo litteræ Apostolicæ ab Innoc. III. non ex defectu potestatis, sed ex defectu intentionis Pontificiæ: quia in animo Innocentii non erat primam instantiam ab his Judicibus, ad quos jure pertinebat auferre, ut probat Angajanus *d. c.* 23. *n.* 20. Faciunt plura, quæ pro hujus doctrinæ illustratione adducit Salgado *de retent. bullar.* 3. *par. c.* 2. Nec secunda difficultas obstat; licet enim viduæ pauperes, tamquam personæ miserabiles, possint aut ipsum Principem adire, aut judicem Ecclesiasticum, *ex l. unic. C. quando Imperator inter pupillum*, 1. 41. *tit.* 18. *par.* 3. late probant Castillo *lib.* 3. *controversf. c.* 15. *n.* 6. Velascus *d. q.* 52. Carleval. *d. quæst.* 7. tamen eo quod viduæ sint, prædicto privilegio non fruantur, imo actiones suas intendere debent coram judice proprio rei, quia tunc pro miserabilibus personis non habentur: quo casu exaudiendi sunt textus *in c. sicut*, *de v. s. cap. nuper, de donat. inter, c. ex litteris, de pignor. c. significantibus, de offic. deleg.* qui juxta hanc distinctionem exaudiendi, & interpretandi sunt, junctis Vega, & Balboa in præsenti. Et olim ex concessione Imperatorum etiam causas sæculares ad petitionem partis Judices Ecclesiastici judicare valebant, ex constitutionibus Theodosii, & Caroli Magni, relatis, *c. quicumque, c. volumus* 11. *quæst.* 1.

Huic conclusioni opponi potest textus *in c. ex parte* 64. *de appellation.* cujus interpretationem in ejus notis dabimus.

CAPUT XII.

Idem a *Pisano Archiepiscopo.*

SI diligenti meditatione. *Et infra*: Asseruisti te usque ad hæc tempora tenuisse, quod licitum sit clerico renuntiare, saltem in temporalibus causis, juri suo, & sibi laicum judicem constituere, præsertim ubi adversarii voluntas accedit: ac temere juramentum super hoc interpositum respondisti, immemor constitutionis illius, qua cavetur,

tur, pacto privatorum *b* juri publico minime derogari. Cum ergo jus hoc in Milevit. *c* & Carthaginensi *d* Conciliis sit specialiter promulgatum, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia publica pertrahant, alioquin causam perdant, & a communione habeantur extranei; & tam Episcopi, quam Diaconi, seu quilibet Clerici, in criminali, seu civili negotio, si derelicto Ecclesiastico judicio *e* publicis sese purgare voluerint judiciis, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione, civili vero perdant quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere: Manifeste patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeant, sed potius toti *f* collegio Ecclesiastico sit publice indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. Nec juramentum licite servari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur.

NOTÆ.

a *Pisano.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 3. & *in c. si diligenti, de proscript.* ubi extat alia pars præsentis Decretalis, & integra reperitur in dicta tertia collectione. In præsenti alloquitur Innocentius, seu rescribit Lothario qui fuit juris civilis glossator, ut ex Odofredo, & alius refert Pancirola *lib.* 2. *var. c.* 29. Ejus gesta narrat Ughellius *tom.* 3. *Ital. sacra, in Ecclesia Pisana, n.* 84. & de ipsa Ecclesia nonnulla adduxi *in c.* 8. *de tempor. ordin.*

b *Juri publico.*) *L. jus publicum* 38. *ff. de pactis, l.* 1. §. *si convenerit* 20. *ff. depositi, l. ultim. ff. de suis & legit. reg.* 27. *ff. de regul. jur.* quam regulam post Fabrum, Gothofredum, Giphanium, & Matthæum *in d. reg.* 27. Exponunt Faber *decad.* 12. *error.* 1. Schifordeg. *lib.* 1. *tract.* 12. Brouchorst. *centur.* 1. *assert.* 42. Hunnius *ad Treutl. volum.* 1. *disp.* 6. *q.* 10. Carballo *in cap. Raynuntius, part.* 2. *n.* 43. pro cujus regulæ expositione sciendum est, jus publicum bifarie accipi; aut ratione materiæ subjectæ, ad quam refertur; aut ratione communis intentionis, qua fertur, ut omnibus subditis dicatur, quod postea singulis applicandum sit, cum res, sive controversia evenerit. Et in hoc postremo sensu, antequam jus singulis casibus incipiat applicari, publicum, aut commune appellatur: in applicatione vero, cum huic, vel illi subdito dicitur in causa, quæ emergit, appellatur privatum, quia ob privatorum utilitatem latum est. Primæ acceptionis testis est Ulpianus *in l.* 1. §. *hujus studii* 2. *ff. de justitia & jure*, ibi: *Publicum jus est in Sacris, Sacerdotibus, & Magistratibus.* Et paulo superius. *Publicum jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat.* Sacra ergo publica censentur, quia publice, sive publica potestate consecrata sunt, *l. in tantum* 6. §. *sacra*, *ff. de divis. rer.* licet subtilis sit distinctio inter sacras, & publicas res, *l. sacra* 9. §. 1. *juncta l.* 1. *ff. eod. tit.* quia sacræ res divini juris sunt, publica vero, ut singulorum res, sunt juris humani. Præclarus textus *in l.* 1. *in princ. ff. de interdict.* Hinc apud Ansonium *in Grypho, seu edyl.* 11. tripartita juris fluxit divisio.

Jus triplex, tabula quod ter sanxere quaterna;

Sacrum, privatum, populi commune quod usquam est.

Sed frequentior est Jurisconsultis acceptio, ut sacrum jus commune etiam appelletur, idest publicum. Petr. Greg. *lib.* 2. *syntag. c.* 1. & 2. & *in methodo parva*, *lib.* 2. *c.* 2. Vincent. Cabotius *lib.* 1. *var. c.* 1. Lælius Mancinus *de triplici juris collat. lib.* 1. *c.* 1. Jacob Gutherus *de veter. jure Pontif. lib.* 1. *c.* 2. *in princ.* Donell. & Osuald. *lib.* 2. *c.* 5. Ratione materiæ jus fiscale, item rerum publicarum, & communitatum, quæ ad publicum spectant, publicum appellatur, *l. bona civitatis* 15. *l. cum qui* 16. *l. inter publica* 17. *de verb. significat.* notant Cujac. *l.* 2. *q. Papin. in l. jus publicum* 38. *de pact.* quo in sensu Galganetus, Gaesius, Sixtinus, & ceteri qui de regalibus scripsere, jus publicum usurparunt.

In secunda acceptione jus publicum frequentissime dicitur, videlicet jus illud, quo privati utuntur publice, propositum in contractibus, negotiis, testamentis, & ceteris emergentibus: ad quam acceptionem referenda est dicta lex 38. qua docemur, jus publicum privatorum pactionibus non posse immutari, veluti si filia in recipienda dote caveat, nihil se ex paterna hereditate reportaturam, non prævalet pactum, nec ab hereditate ideo remota censebitur, quia non potuit conventio juri publico derogare, *l. ult. de suis & legit. heredit.* Posset vero jam delatam repudiare, quod nemini dubium est, *l. is qui heres* 13. *l. is potest* 18. *ad acquir. hered.* sic similiter, si antequam testator decedat, heres pactus fuerit de non detrahenda Falcidia, hoc patum non foret efficax, *l. quod de bonis* 15. §. 1. *ad leg. Falcid.* Quod si jam ex lege sibi acquisitam a se abjiceret, a nemine prohiberetur, *l. si sponsus* 5. §. *si quis rogatus, de donat. inter.* Utrumque exemplum a Papiniano est, quo regula ejus apprime explicatur. Jus commune, antequam singulis appropriatur, accommodetur, applicetur, non potest immutari privatorum conventionibus: dicamus verbis Pragmaticorum, non potest renuntiari; sed postquam appropriatum est privatis, privatum est, cujus valet remissio, repudiatio, refutatio. Cujacius *d. l.* 2. *qq. Papin. in d. l.* 38. & *l.* 27. *observ. c.* 36. A. Faber *in jurispr. tit.* 1. *princ.* 5. Osualdus *ad Donell. l.* 2. *c.* 5. *litt. A.*

c *Milevitano.*) Ita etiam hæc verba tribuuntur Concilio Milevit. a Gratiano *in c. inolita* 42. 11. *q.* 1. Sed in nullo ex canonibus Concilii Milevit. reperiuntur verba hic ab Innocentio, & ibi a Gratiano relata: extant tamen in Concil. Tolet. 3. *can.* 13. ubi legitur: " Diuturna indisciplinatio, & licentia inolita
„ præsumptio usque eo in illicitis ausibus aditum patefecit,
„ ut clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia pu-
„ blica pertrahant: proinde statuimus, hoc de cetero non
„ præsumi, sed si quis hoc facere præsumpserit, & causam
„ perdat, & a communione efficiatur extraneus. „

d *Carthaginensi.*) *Can.* 15. relato *inc. placuit* 43. 12. *q.* 1. & in codice canonum Ecclesiæ Afric. *can.* 15. ita legitur: " Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen „ inustum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Eccle- „ siastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi „ pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & „ hoc in criminali actione; in civili vero perdat quod evi- „ cit, si locum suum obtinere maluerit. „ Post hæc verba adjiciuntur illa: *Cui enim ad eligendos judices*, &c. Quæ cum collectoris canonum essent, a librariis contextui inserta fuerunt, ut notavit Justel. *in d. can.* 15. His ergo canonibus levitas, seu procacitas clericorum coercetur, qui spretis, & relictis judicibus Ecclesiasticis, sæculari judicio se committunt: in quorum comprobationem refert Sozomenus *lib.* 4. *hist. Eccl. c.* 24. Sophronium Pompejopolis Episcopum fuisse exhauctoratum, quia judices exteros elegit.

e *Publicis judiciis.*) Idest jurisdictioni sæculari; judicia enim sæcularia dicuntur publica, quatenus opponuntur Ecclesiasticis cognitionibus, ut notavit Bertrandus *de Jurisperitis, in vita Marciani.*

f *Toti collegio.*) Beneficium in præsenti significat specialitatem fori, sive privativum forum, quo gaudent Ecclesiastici, prorsus discretum a sæculari. Asserit Pontifex indultum esse publice toti clericorum collegio, quæ verba arripuerunt Honorius III. in prælegato capite *significaverunt* 4. *de judic. in* §. *compil.* & Bonifacius VIII. *in c. penult. de foro compet. in* 6. juxta litteram integræ Decretalis. Non tamen significant corpus aliquod ex pluribus personis constans, ut grex, municipium, &c. *l. mortuo* 22. *de fidejuss. l. rerum missura* 30. *de acquirend. possess. l. proponebatur* 77. *de judic.* cum similibus, sed totius status congregationem, Græce Ἐκκλησίας. Qui per se status sufficiens est, & perfectus, cui sæcularis status in spiritualibus, ut alibi noto latius, subest. Ergo jus commune, publicum pro toto Ecclesiastico statu. Hoc jus publice indultum, inductamque est; a quo? An a Cristo immediate? an a sacris canonibus, epistolisque Pontificum? an a permissu Potestatum sæcularium, agnoscentium portionem illam ex sorte Domini esse, nec ad ditionem, dictionemque suam pertinere? Utut sit, quod alibi erit tractandum, constat specialitatem fori Ecclesiastici inductam esse præeunte divina ratione; primo Christianorum Principum permissionibus, sive edictis; deinde Pontificum decretis, & Conciliorum sanctionibus.

In aliud extremum declinavit D. Salgadus 2. *p. de retent. Bullar. c.* 11. *n.* 15. existimans, docensque ex professo per multos numeros sequentes; exemptos non posse se submittere jurisdictioni diœcesani, neque eam prorogare, aut suæ renuntiare. Et quamvis ipse plurimos citet, ut verum fatear, nullum invenio, qui tam mordicus hanc opinionem defendat. Per contrarium praxi, & usu negotiorum edoctus testor, vidisse me plura instrumenta censualia, in quibus Prælati, & Conventus se submittunt jurisdictioni ordinariæ Ecclesiasticæ, cum renuntiatione proprii, & juramento præcedente ad id superioris Provincialis auctoritate, ut ad obligationem principalem, contra quæ numquam vidi opponi exceptionem nullitatis renuntiationis, aut submissionis. Nec aliter emptores censuum religiosis pretia traderent, qui proculdubio deciperentur evacuatis renuntiatione, & submissione, ut considerat Justinianus *in d. l. si quis in conscribendo.* Ut ergo de hac doctrina sapientis alioquin Senatoris censeamus, primo dicendum est, textum in hoc capite *si diligenti*, ad eam minime pertinere, quia loquitur de beneficio toti statui clericali per sacras constitutiones indulto, prout in se complectitur etiam statum religiosum, ut totum continet suas partes: & amplius loquitur de submissione foro sæculari, quod facere nulli licet Ecclesiastico. Et quamvis velimus dicere, posse applicari huic controversiæ textum *in cap. significasti* 18. *de foro compet.* quatenus non concedit clerico prorogare alterius judicis Ecclesiastici jurisdictionem sine sui Prælati consensu; sufficienter salvatur hic consensus ex licentia præstita per Prælatum provincialem Priori, aut immediato Superiori, qui cum Conventu gerit contractum cum renuntiatione, & submissione. Nec potest dici, esse ipsum Pontificem superiorem, cujus interest plures habere subditos; hos autem esse, qui ab Ordinariis exempti sunt. Nihil enim de hac superioritate minuitur per prorogationem in hac, vel illa causa: eo maxime, quia exemptio non est primo intuitu concessa Sedis Apostolicæ favore, cujus amplitudo vix quidquam per hanc subjectionem argumenti accipit, cui cuncta per mundum subjecta sunt, ut grex pastori, *cap. cuncta per mundum* 17. 9. *q.* 3. *c. antiqua* 23. *de privil.* cum similibus sed favore ipsius religiosi status, ut quietius Deo vacarent ipsi devoti, *c. luminoso* 6. 18. *q.* 2. docet Thom. Sanchez 1. *tom. in precept. Decal. lib.* 4. *cap.* 39. *n.* 32. Quamvis non negem, favorem etiam Sedis Apostolicæ in subjectione versari magis quam odium Ordinariorum, ut recte censet Erasmus Cokier *de jurisd. in exemptos* 3. *p. quæst. ult.* Licebit ergo prorogare forum diœcesani, ejusque se submittere jurisdictioni, iis qui exemptionem habent loco proprii beneficii,